DE VET.
REG. FR.
DIPLOM







DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOMATIBUS,

Et Arte secernendi antiqua diplomata vera à falsis,

DISCEPTATIO.

Ad R. P. D. JOANNEM MABILLONIUM, Monachum Benedictinum.

Auctore P. BARTHOLOMÆO GERMON, *Societatis* JESU *Presbytero.*

PARISIIS,
Apud JOANNEM ANISSON Typographiæ Regiæ Præfectum, viâ Cytharæâ.

M. DCCIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX CAPITUM,

Quæ Disceptatione hac continentur.

PRÆFATIO *ad R. P. D. Jo. Mabillonium;* Pag. 1.
Disceptationis hujus scopus, p. 6.

PARS PRIMA. *Quædam generalia rationum momenta, quibus suspecta redduntur, exhibita in Libris de re Diplomatica vetustarum chartarum specimina,* 15.

Caput I. *Autographa sub Merovingis & Carlovingis Regibus scripta, non facile ad nos usque pervenire potuisse,* 17.

Cap. II. *Falsarios magno numero variis sæculis esse grassatos, & conficta ab iis Diplomata asservari passim cum iis quæ genuina dicuntur,* 28.

Cap. III. *Vetustiora Diplomata vera vix posse, ut nunc res sunt, certò secerni à falsis,* 39.

Cap. IV. *Antiquiorum Diplomatum veritatem ex scripturæ forma nullatenus colligi posse*, 49.

Cap. V. *Exhibita in Libris de re Diplomatica Autographorum veterum specimina, suspecta reddi ex pessima ipsorum Orthographia*, 65.

Cap. VI. *Edita in Libris de re Diplomatica Autographa, propter stili barbariem esse debere suspecta*, 78.

Cap. VII. *De Archivo Dionysiano, ubi Diplomatum illorum, quæ in Libris de re Diplomatica exhibentur, pars longè maxima asservatur*, 94.

PARS SECUNDA. *Expenduntur sigillatim & impugnantur exhibita in Libris de re Diplomatica indubitatorum Autographorum specimina*, 115.

Cap. I. *De primo Autographorum indubitatorum specimine*, 116.

Cap. II. *De secundo Autographorum indubitatorum specimine*, 123.

Cap. III. *De tertio Autographorum indubitatorum specimine*, 135.

Cap. IV. *De quarto ſpecimine Autographorum indubitatorum,* 144.
Cap. V. *De quinto Autographorum indubitatorum ſpecimine,* 150.
Cap. VI. *De ſexto Autographorum indubitatorum ſpecimine,* 173.
Cap. VII. *De ſeptimo & decimo Autographorum indubitatorum ſpeciminibus,* 182.
Cap. VIII. *De Octavo Autographorum indubitatorum ſpecimine,* 195.
Cap. IX. *De primo Carolinorum Autographorum ſpecimine,* 215.
Cap. X. *De ſecundo Carolinorum Autographorum ſpecimine,* 233.
Cap. XI. *De tertio Carolinorum Autographorum ſpecimine,* 241.
Cap. XII. *De quarto, quinto, ſexto & aliis pluribus Autographorum Carolinorum ſpeciminibus,* 256.
Concluſio. *Hujus Diſceptationis,* 266.

APPENDIX *complectens varia Diplomatum ſpecimina,* 274.
Diplomatum Merovingicorum ſpecimen primum. *Dagoberti Regis Præceptum, quo Monaſterio Diony-*

siano villam Iticinoscoam concedit, 275.

Diplomatum Merovingicorum secundum specimen. *Clodovei junioris Diploma, quo Monasterii sancti Dionysii libertatem confirmat,* 278.

Diplomatum Merovingicorum specimen tertium. *Ejusdem Clodovei Præceptum de villa Cotiraco,* 287.

Diplomatum Merovingicorum specimen quartum. *Ejusdem Clodovei Placitum, quo Audoënum inter & Leudesium lis orta deciditur,* 289.

Diplomatum Merovingicorum specimen quintum. *Chrotildis matronæ Charta de conditione Monasterii B. Mariæ apud Brogarias in pago Stampensi, in quo neptem suam Mummolam constituit Abbatissam,* 291.

Diplomatum Merovingicorum specimen sextum. *Theodorici filii Clodovei secundi Regis Præceptum de Latiniaco villa Monasterio S. Dionysii concessa,* 301.

Diplomatum Merovingicorum specimen septimum. *Theodorici ejusdem*

Placitum de Chramlino Episcopo Ebredunensi in Synodo publica deposito, & facultate eidem concessa res suas post degradationem retinendi, 306.

Diplomatum Merovingicorum specimen octavum. *Vandemiris V. J. Charta & Erchambertæ ejus uxoris de donationibus factis in complura Monasteria & Ecclesias*, 310.

Diplomatum Merovingicorum ultimum specimen. *Childeberti III. Præceptum de Napsiniaco villa in pago Bituricensi, Monasterio S. Dionysii concessa*, 319.

Diplomatum Carolinorum specimen primum. *Pipini Regis Præceptum, quo Fulrado Abbati bona ab eodem sibi urgente gravi morbo commissa restituit, & de iisdem bonis disponendi facultatem concedit.* 325.

Diplomatum Carolinorum specimen secundum. *Præceptum Carlomanni Regis, fratris Caroli Magni, quo Monasterii Dionysiani immunitates & à teloneis exemptionem omnibus ad festivitatem seu mercatum S.*

Dionysii concurrentibus confirmat; 331.

Diplomatum Carolinorum specimen tertium. *Caroli M. Præceptum, quo varia Monasterii Dionysiani bona sub Pipino Rege recuperata, eidem Monasterio confirmat*, 339.

Diplomatum Carolinorum specimen quartum. *Caroli M. Præceptum pro confirmatione commutationis quorumdam prædiorum in pago Metensi, initæ inter Fulradum Abbatem Dionysianum & Euphemiam Abbatissam Parthenonis S. Petri in urbe Metensi*, 347.

Diplomatum Carolinorum specimen quintum, *Charta Ghiselæ Caroli M. Sororis, qua Monasterio Dionysiano multa confert prædia, quæ à parentibus acceperat*, 352.

Diplomatum Carolinorum specimen ultimum. *Caroli Magni Præceptum pro Osnabrugensi S. Petri & SS. Crispini & Crispiniani Basilica*, 357.

DE

DE VETERIBUS REGUM FRANCORUM DIPLOMATIBUS,

ET ARTE *ſecernendi antiqua Diplomata vera à falſis*,

DISCEPTATIO.

Ad R. P. D. JOH. MABILLONIUM, Mon. Benedictinum.

CUM poſtularet ſtudiorum meorum ratio, Vir erudite, vetera ut Regum noſtrorum monumenta perluſtrarem; egregiam quam *De re*

diplomatica ſcripſiſti Tractationem, in qua & collecta recens Diplomata Regum quampluri-ma, & novam de iis judicandi artem exhibes, imprimis legendam mihi & accuratè perpendendam exiſtimavi. Atque illam inſpicere ubi primùm licuit, intellexi illicò, jure ac merito gratulari tibi univerſam Litteratorum hominum Rempublicam, quam nova eaque perutili nec minus laborioſa diſciplina locupletare aggreſſus es. Enimvero tot exaratos manu codices ex vetuſtis ſcriniis erutos evolvere, fugientes deletarum prope litterularum apices oculis obſervare, propriam inſolentis formæ elementorum vim ac poteſtatem definire, genuina à ſpuriis diplomata ſecernere, eorumque omnium artem inſtituere,

difficile ſane fuit ac operoſum. Tam diuturni laboris moleſtias tua vicit patientia ; difficultatem operis inſita animi ſagacitas & labore parta eruditio ſuperavit.

Dicam tamen quod res eſt: quominus ex his tuis vigiliis tam uberes, quam ſperaveram, fructus perciperem, impedimento fuere injecti quidam inter legendum nodi, de quibus non ægre feres, puto, ut te conſulam. Nam ſive, ut ipſe modeſte * inſinuas, inchoatam artem primo hoc conatu nondum numeris ſuis omnibus abſolveris; tuum eſt, cum id maxime poſſis, ſupplere quod deeſt. Sive, quod de mea tenuitate facile ſuſpicor, mentem tuam non fuerim ſemper aſſecutus: tuæ eſt etiam benignitatis adjuvare laborantem;

* *De re diplomatica Lib. 1. cap. 1. pag. 2.*

& viam, in qua ducem te sequimur, complanare.

Quod si neutrum à te impetrare liceat; hoc saltem in animum inducas velim, tibi ad majora fortasse festinanti moram hanc qualemcumque injici à me, non amore contentionis aut malevolentia aliqua, sed solo investigandæ veritatis studio: quippe qui & Instituti tui homines præcipuo cultu à pueris venerer, & te ut splendidissimum Ordinis tui lumen semper suspexerim.

Mens erat te privatis tantummodo litteris consulere: verum nonnullis satius visum fuit, id publico scripto fieri. Sic enim
» aiebant. » Si quæ adversus re-
» cèns institutam Artem secernen-
» di antiqua diplomata vera à fal-
» sis objectas, vera sunt & certa,

non expedit illa occultari: ſin « falſa, quia tamen ſpeciem ali- « quam veritatis habent, neceſſe « eſt pariter illa vulgari, ut ſol- « vantur, neve aliis, ſicut & tibi, « fucum faciant. Neque vero cum « times, pergebant illi, ne hoc tuo « ſcripto injuriam fieri ſibi Mabil- « lonius exiſtimet, ſatis noſti viri « indolem humanitatis plenam & « æquitatis. Et ſanè, qui contraria « ſentientem Papebrochium ſine « ulla Papebrochii offenſione con- « futari poſſe arbitratus eſt, cur « idem tibi ſuccenſeat modeſte « petenti, ut ſiquæ in libro, ubi « Papebrochius confutatur, diffi- « cilia occurrunt & obſcura, ex- « planentur; ſiquæ fortaſſe falſa, « emendentur. Ita illi apud me in- « ſtabant: quorum ſive argumen- tis, ſive auctoritati cum ceſſi, Vir erudite, ſimul mecum ſtatui

attendere diligenter, ne mihi quicquam inter ſcribendum excideret, quod tibi Tuiſque, non dico contumelioſum, ſed etiam grave aut moleſtum eſſe poſſet. Nunc quid ſcripto hoc meo potiſſimum velim, breviter propono.

Diſceptationis hujus ſcopus.

QUEM in libris *de re diplomatica* finem tibi proponas, primo ſtatim operis ingreſſu nobis aperis: nempe ut * *tradas certas & accuratas conditiones ac regulas, quibus inſtrumenta legitima à ſpuriis, certa & genuina ab incertis & ſuſpectis ſecernantur*; atque ita * *munias viam contra Falſariorum impoſturas*. Laudandum ſane & omnium bonorum plauſu excipiendum conſilium! Ad iſtud autem exequendum ſic progrederis.

* *De re diplomatica Lib. I. cap. 1. §. 1. pag. 1.*

* *Ibid §. 3. p. 2.*

Inter ea quæ passim ex Archivis Ecclesiarum & Monasteriorum eruuntur vetutissima monumenta, nullum dubium est, inquis, quin & possint aliqua esse vera; cum constet à quinto & sexto sæculo receptum fuisse scribendorum instrumentorum usum: & possint aliqua esse falsa; cum plurimis sæculis non defuerint Falsarii, qui adulterina diplomata ad verorum imitationem concinnarent. Ars ergo, ut recte colligis, instituenda, qua vera à falsis secernantur: addisque vera censenda esse, in quibus nullus nævus, nihil non cohærens; sed stilus, subscriptiones, sigillum, chartæ genus, & alia hujusmodi observantur his consentanea temporibus, quorum instrumenta notas præferunt; quæ secùs se ha-

bent, rejicienda esse ais ut spuria. Atque hinc concludis instituendæ artis partem præcipuam in eo esse debere, ut definiatur accurate quis singulis ætatibus adhibitus in publicis instrumentis stilus, quæ scripturæ forma, quod chartæ genus, quis subscribendi & sigilli apponendi ritus: ea vero cognosci non posse ex Apographis, sed esse deducenda ex Autographis; si modo aliqua à priscis illis temporibus ad nos usque integra pervenerunt: pervenisse autem multa existimas.

Hæc igitur institutæ à te Artis summa, ex accurata Autographorum lectione discere, quis ætatibus singulis fuerit receptus in scribendis instrumentis ritus: hoc autem cognito definire, quæ instrumenta legi-

tima ſint, quæ ſpuria : ex quo conſequens eſt hanc tuam Artem totam niti Autographorum fide. Si nulla extarent Autographa antiqua, nulla potuiſſet à te inſtitui Ars ſecernendi inſtrumenta vetera legitima à falſis. Si nutaret Autographorum tuorum fides, incerta eſſet atque adeo nulla Ars nova quam inſtituis. Stat vero illa, ſi modo Autographa quæ producis, certa ſunt & indubitata.

De his cum tibi omnes plane debeant aſſentiri, id unum ſupereſt, ut examinemus, an reipſa illa, ex quibus Artis tuæ principia repetis ac regulas, Autographa indubitatæ ſint fidei, & hujuſmodi ut nullo pacto venire poſſint in controverſiam. Impellit quidem auctoritas tua, ut credam certa eſſe quæ habes pro

certis: ſed pronum me ad aſſentiendum retardant non levia, quæ in contrarium ſeſe offerunt, argumenta: quæ priuſquam propono, nonnulla hîc obſervari velim.

I. Intellexiſſe me quam recte monueris, homini *rem diplomaticam* tractanti vitia duo imprimis eſſe cavenda: primum, ut ne ſit nimium credulus, ac ſinat falſa ſibi obtrudi pro veris: alterum, ut ne ſit ultra modum ſuſpicax, & incidat in temerariam præcipitemque cenſuram. Monitis tuis obſecutus utrumque hunc ſcopulum, quantum in me erat, declinavi. In primum ne impingerem, ad trutinam revocavi ſingula; nec quicquam admiſi pro vero, quod verum eſſe certis argumentis non conſtaret. Alterum ut vitarem, quoties aliquam

falſitatis notam mihi viſus ſum deprehendere in diplomatum ſpeciminibus, quæ produxiſti ut genuina, cohibui aſſenſum; paratus hæc ipſa diplomata ultro tecum probare & amplecti, ubi primum perſpecta mihi veritas fuiſſet, & dubia, quæ me implicitum tenent, diſſipata.

II. Cum diplomata quæ laudaſti impugno, non idcirco me fidem tuam ſuſpectam habere. Concepta de probitate tua opinio non patitur ut dubitem, quin certa exiſtimaveris quæcumque certa eſſe dixiſti. Sed quemadmodum in reliquis artibus evenit, ut de una eademque re alii aliter ſentiant; ita & in *Arte diplomatica* fieri facilè poteſt, ut quæ inſtrumenta tibi genuina & indubitata videntur, eadem alter adulterina vel incerta judicet,

III. Hic agi de ſolis vetuſtioribus diplomatibus, quæ ſeptimo, octavo, & proxime ſequentibus ſæculis, atque adeo ſub Merovingis & Carlovingis Regibus ſcripta feruntur. Ex iſtis enim fere ſolis Artis tuæ regulas eruis; non ex recentioribus quæ nonniſi circa vel poſt ſæculum duodecimum condita ſunt. Poſtrema hæc deſcribere, horum ſpecimina exhibere, ferendi de his judicii leges dare ſupervacaneum putaſti; tum quia occurrunt paſſim, & ſunt numero infinita; tum quia in recentiore memoria facilius eſt vera à falſis dignoſcere.

IV. Diſceptationem hanc nunquam me editurum fuiſſe, ſi judicaſſem poſſe illam aliquomodo in damnum vertere Eccleſiarum vel Monaſteriorum, quorum

quorum vetera inſtrumenta expenduntur. At conſtat nihili aut parvi admodum intereſſe Eccleſiarum, verane ſint an falſa antiquiora ejuſmodi inſtrumenta. Quippe ſi Eccleſia donatis ſibi ante annos mille vel octingentos bonis etiamnum fruatur, non poteſt illa poſſeſſione ſua dimoveri, quamvis inſtrumenta donationis autographa, caſu aliquo poſt tam longam annorum ſeriem interciderint, aut fuerint corrupta. Sin bona illa jam dudum in manum alterius tranſierunt, Eccleſia non poteſt iſta repetere, etiamſi vetuſta donationum inſtrumenta hucuſque perſeverent: cum facile fieri potuerit, ut quod olim Eccleſiæ fuerat legitime donatum, ipſa poſtmodum vendiderit, commutarit, aut aliqua alia ratione alienum

fecerit. Verum quæ instrumenta Ecclesiis ac Monasteriis non possunt esse magno emolumento, hæc eadem utilissima forent viris eruditis ad illustrandam veterem Historiam, Chronologiamque; si modo vera & falsa ab invicem certis regulis possent ac conditionibus secerni.

Quæ omnia hîc ego observata volui, ut postquam mens mea ac consilium omnibus innotuerit, possim de propositis à te genuinorum diplomatum speciminibus sine cujusquam invidia & offensione disputare.

Porro Disceptationis hujus duæ erunt partes. In prima generalia quædam rationum momenta proponam, quibus exhibita à te vetustarum Chartarum specimina suspecta redduntur: in secunda specimina ipsa ex-

pendam ſingillatim & impugnabo. His denique adjuncta Appendix examinata in ſecunda parte diplomata integra continebit.

PARS PRIMA.

Quædam generalia rationum momenta, quibus ſuſpecta redduntur, exhibita in libris de re diplomatica vetuſtarum chartarum ſpecimina.

VETUSTISSIMA quæ repræſentaſti indubitatorum Autographorum ſpecimina generatim & univerſe ſpectata, ſeptem ex capitibus potiſſimum ſuſpecta videri poſſunt. 1. Scripta ſexto, ſeptimo, vel octavo ſæculo Autographa, non niſi ægre ad nos uſque pervenire po-

tuerunt. 2. Falsariorum multitudo, qui variis sæculis grassati sunt, dat locum timendi, ne forte ab illis conficta sint diplomata, quæ libro tuo continentur. 3. Ut nunc res sunt, vix regulæ ullæ possunt excogitari, quibus diplomata vera certò secernantur à falsis. 4. Diplomata tua suspecta facit, quæ in ipsis observatur, singularis scripturæ forma. 5. Suspicionem fovet pessima nec satis constans ipsa sibi eorumdem diplomatum orthographia. 6. Idem de illorum stilo dicendum. 7. Denique suspicionem augent & confirmant scrinia ipsa ex quibus illa eruuntur. Quæ singula singulis capitibus, quam brevissime potero, exponam.

Caput Primum.

Autographa sub Merovingis & Carlovingis Regibus scripta non facile ad nos usque pervenire potuisse.

QUod adversus Papebrochium nostrum pluribus contendis, Vir erudite, sexto sæculo jam receptum fuisse morem publica scribendi pro Ecclesiis Monasteriisque instrumenta, id ego facilè adducor ut credam. Verum quod sine probatione ulla assumis, Autographa his & proxime sequentibus temporibus confecta, plurima hactenus integra perseverare, hoc certe est creditu difficillimum.

Creditu difficillimum esse di-

co ſcripta ætate Dagoberti primi, Clodovei ſecundi, Theodorici, Chilperici, Caroli Magni, Ludovici Pii, aliorumque primæ vel ſecundæ Regum noſtrorum Dynaſtiæ Autographa integra hactenus permanere. Et vero facile intelligitur, quî fieri poſſit, ut cuſa ante annos mille aut bis mille numiſmata, ut fuſa in ære vel ſculpta in marmore ſigna, à remotiſſimis temporibus ad noſtra uſque pervenerint. Quippe ærea & marmorea monumenta, etſi ruinis ædificiorum urbiumque ſepulta, tamen ſua ſe duritie atque innata ſoliditate adverſus injurias temporum perdiu defendunt. Quare neceſſe eſt illa aliquando tandem è latebris erui, & poſt diuturnas tenebras rurſum in lucem prodire pretio-

ſiora, atque ipſa ſua vetuſtate veneranda. At vero diplomata vetera, cum ſcripta fuerint in papyro Ægyptiacâ, in cortice, in membranis, quæ corpora per ſe fluxa ſunt & caduca, incredibile eſt tanto temporum intervallò illæſa à mucore, ſitu, muribus, aliiſque ejuſdem generis peſtibus reſtitiſſe.

Neque hìc opponas veteres libros ſacros & prophanos, qui quamvis & ipſi olim papyro, cortici & membranæ crediti, plurimi tamen ſuperſunt hodie & omnium manibus teruntur. Librorum enim & diplomatum fortuna longe diſpar eſſe debuit. Nam quod ad libros attinet, cum multa ipſorum exemplaria haberentur, nec omnia ſimul perire poſſent: facile fuit uno exemplari pereunte, aliud ex-

ſcribere de novo, & in deperditi locum ſubſtituere. Adde quod nemo jactat habere ſe libros veteres ipſorum Autorum manu exaratos. Quod ſi aſſervantur in Bibliothecis manuſcripti aliquot codices antiquiſſimi, exemplarium multitudine factum eſt, ut pluribus ævo abſumptis, unum tamen alterumve eruditorum hominum curis ac diligentia blattarum dentes effugerit. Jam vero de veteribus diplomatibus nihil tale fingi poteſt. Cujuſque enim diplomatis Autographum raro geminum eſt, fere ſemper unicum; hocque reparari, ſi ſemel perierit non poteſt, nec aliud niſi adulterinum in ejus locum ſupponi.

Fecit, inquies, ſollicita cuſtodum vigilantia, ut Autographa ipſa non perirent. Unde ve-

ro conſtat tantam fuiſſe cuſtodum vigilantiam? Ego enim vix mihi perſuadeo, in tanto cuſtodum ſibi ſuccedentium numero non plures fuiſſe negligentes in aſſervandis veteribus chartis, quas neque tum fortaſſe poterant legere; quas ſi perderent, integra tamen ſua prædia ſcirent ſibi eſſe remanſura. Nam quamvis receptus tunc fuerit ſcribendorum inſtrumentorum uſus; non tamen putandum eſt, ſicut ipſe recte mones, illum ita invaluiſſe, ut donationes nudo verbo abſque ſcripto & charta factæ non reciperentur. Valebant illæ, & erant in uſu communi; quanquam, ut eſſent firmæ & ſtabiles, neceſſe erat plures * adhiberi teſtes, qui facti fidem facerent; tres, ſi parva res traderetur; ſex, ſi mediocris;

* *Lex Ripuar. tit. 60. §. 1.*

ſi magna, duodecim.

Neque vero de re poſſeſſa, * niſi forte conſtaret injuſtum fuiſſe poſſeſſionis initium, licebat cuiquam litem movere poſt longam annorum ſeriem: neque ſi moveretur, poſtulabat Judex inſtrumentum & chartam produci. Legibus cautum erat, * ut loca ſacra quæ poſſeſſionem per triginta annos ſine alicujus interpellatione tenuiſſent, perpetuo jure poſſiderent: neque fas erat poſteà teſtimonia in contrarium recipere.

** Clotarii Regis conſtitut. gener. cap. 13.*

** Clot. Rex ibid. & Ludovic. Pius capit. Vormat. an. 829. §. 9.*

Quæ quidem à me eo loci commemorantur, ne quis exiſtimet, ſicut avaros auro, ita ſcriniorum cuſtodes chartis ſuis incubare debuiſſe anxios; quaſi actum fuiſſet de prædiis Eccleſiarum & Monaſteriorum, ſi confecta de iis inſtrumenta caſu aliquo

periissent. Longi temporis possessio minime controversa, chartæ loco erat & instrumenti: hæc autem ubi desiderabatur, frustra erant veteres chartæ & diplomata. Hinc Ecclesiæ Remensis Clerici ad extremam inopiam redacti, non confugerunt ad veteres chartas, ut erepta bona ab injustis possessoribus repeterent: sed ut ipse * refers ex Hincmaro " Remensi, *victum negotio quæsierunt*, chartis veteribus diplomatibusque ita contemptis, *ut illis sicut & librorum foliis denarios ligarent, quos mercimonio conquirebant.* Usque adeo certum est chartas & diplomata vetera contra multorum annorum possessionem parum valuisse. Cum ergo ipsa possessio longi temporis plus haberet ponderis apud Judices, quam scripta diploma-

* *De re diplom. lib. 1. cap. 7. §. 1. pag. 26.*

" *Præfat. ad vitam S. Remigii.*

ta, nihil erat causæ, cur ista scriniorum custodes tam diligenter asservarent.

Sed demus in tanta custodum multitudine nullum non fuisse vigilantissimum. At nullus ne est eorum qui scrinia Monasteriorum habuerunt in sua potestate, cujus fides suspecta esse possit? Absit ut ego Monachis, quorum Institutum veneror, contumeliam hoc loco irrogare velle videar. Verum neminem fugit Monasteriis ditissimis perdiu præfuisse Abbates Laicos, quos de transmittendis in filios suos Monasteriorum bonis sollicitos fuisse constat; de conservandis religiose donationum instrumentis, de retinenda priscorum Autographorum fide credibile est non admodum laborasse.

Huc accedit quod illa ipsa loca

ca locupletiſſima, ex quibus pleraque Autographa, quæ laudas, prodeunt, prædationibus & incendiis non ſemel vaſtata fuerint. Age enim, ut de Germanenſi, Corbeienſi, cæteriſque ſileam, venerabilis illa arx Dionyſiana quoties direpta eſt, ſubverſa funditus, & reſtituta? Quæ ibi erant inſculpta in ære, inciſa in marmore veterum Regum monumenta, his cladibus ſic attrita ſunt, ut vix ullum ſit in æde tam ampla monumentum, quod Abbatis Sugerii temporibus antiquius probari poſſit. Nonne prodigii inſtar haberi debet, ſi convulſis, confractis, attritis æreis marmoreiſque ſignis omnibus, commiſſa ibidem cortici, papyro, membranæ diplomata ſola integra permanſerint?

Opportunè ſcilicet ſubducta

ſunt, & erepta Barbarorum furori. Hoc quidem dici neceſſe eſt. At nonne iſtud ipſum mirum eſt, in hac rerum confuſione Monachos vitæ ſuæ vix ſecuros, de aſportandis corticeis membranaceiſque tabulis, quibus perditis tamen ſcirent ſedato tumultu fore ſibi integras ſuas poſſeſſiones, unice cogitaſſe?

Hic tamen obſervatum velim iſta non eò à me proferri, quod putem omnino fieri non potuiſſe, ut aliqua veterum temporum Autographa blattarum dentes, improborum hominum manus, vim ignis effugerint. At cum nonniſi ægrè fieri id potuiſſe certum ſit, peto ut ne factum dicatur ſine ulla probatione. Noli enim, quæſo, duo hic ſimul confundere, quæ ſunt valde diverſa; quorum unum plane de-

monſtraſti, alterum videris ſilentio prætermiſiſſe. Extare in Eccleſiarum Monaſteriorumque Archivis chartas barbaro quodam & obſoleto ſcripturæ genere in cortice & membranis exaratas, quæ priſcorum Franciæ Regum nomen præferant & habeant ſpeciem antiquitatis: hoc quidem probatum eſt, & oculis exhibitum : hoc jam nullus ſanæ mentis homo poteſt in dubium revocare. Sed chartas illas, quæ ſpeciem habent antiquitatis, reipſa antiquas eſſe & genuinas, neque ex illarum numero quas Falſarii ad verarum ſimilitudinem per ſummum ſcelus confinxere: hoc viſum eſt tibi nulla probatione egere : hoc ego præcipuè probandum fuiſſe exiſtimo duas ob cauſas; tum quia chartas illas, ſi ſince-

ræ essent, haberi nunc integras foret difficillimum, ut jam ostendi; tum quia mentitas pro veris supponi, & Ecclesiarum Monasteriorumque Archivis inseri fuit facillimum, ut modò sum ostensurus.

Caput Secundum.

Falsarios magno numero variis sæculis esse grassatos, & conficta ab iis diplomata asservari passim cum iis quæ genuina dicuntur.

SI nulli extitissent unquam Falsarii, aut illi rem diplomaticam non attigissent, aut impervia ipsis fuissent scrinia ex quibus tua educis diplomata; non requirerem ut vetera instrumenta cum profers & dicis autographa, autographa esse probares. Sed genus id hominum,

ut ipſe fateris, nunquam defuit: illique innumera diplomata corruperunt, interpolaverunt, ſpuria legitimis ſuppoſuerunt; nec à ſcriniis, quæ tu conſulis, perfidas manus abſtinuerunt. Quæ ne exaggerari à me, aut per invidiam dici quis ſuſpicetur, verbis non aliis quam tuis rem aperiam.

Ipſe igitur concedis multos vixiſſe **Falſatores undecimo, nono & ſexto ſæculo:* * *illorumque multitudinem magis ac magis eſſe graſſatam regnante Othone Imperatore.* Deſcribis præterea cauſas propter quas * *Originalia ſunt adulterata, treſque omnino fuiſſe* ais. *Prima eſt*, inquis, * *ob caducitatem veterum Autographorum, quæ cum lacera eſſent & ſcripturæ fugientis, ad eorum imitationem alia effecta ſunt, imprudenti an temera-*

* *De re diplom. Lib. 1. cap. 6. §. 3. & 4. pag. 22. & ſeq.*

* *Ibid. §. 3. p. 23.*

* *Ibid. cap. 7. §. 2. pag. 26.*

* *Ibid.*

ria quorumdam simplicitate vel audacia. Simul etiam doces * *aliquos per se renovasse privilegia sua, uti & alios regia autoritate: nec fortasse, quæ illorum temporum simplicitas erat, id crimini ductum fuisse. Alia* * *confingendorum Originalium causa fuit,* ut ais, *ad supplendam veterum jacturam ex bellis, incendiis, aliisque modis....* * *Tertia denique causa alios vertit ad subornanda diplomata falsa*, ut haberent unde *blandienti falsitati & injustitiæ robur & subsidium accerserent: quod quidem hominum genus longè Reipublicæ nocentius fuit quam duorum antecedentium.*

Addis Falsarios * non ignorasse *modum faciendi ac placandi sigillum: recensesque modos novem quibus* * Romanorum Pontificum sigilla & *Papales Bullæ falsari possint.* Insuper narras * *quan-*

* Ibid. p. 27.
* Ibid. §. 6. pag. 29.
* Ibid. §. 8. p. 29.
* Lib. 1. cap. 6. §. 6. pag. 25.
* Lib. 2. cap. 14. §. 14. p. 131.
* Lib. 1. cap. 6. §. 6. p. 25.

dam domicellam comprehenſam eſſe, quæ falſis litteris in gratiam Roberti de Atrebato adverſus Burgundiæ ducem confictis, falſitatem à ſe factam recognovit, & modum faciendi ac placandi ſigillum coram Rege oſtendit : illamque ob id eſſe flammis traditam.

Denique concludis * *fuiſſe Falſatores apud omnes, quia malis permiſta ubique in mundo bona omnia. Fuiſſe etiam ſæculo undecimo uti apud Clericos, ſic & apud Monachos, quales ſunt illi de quibus conqueſtus eſt Baronius...* * *Nec Clericos tantum & Monachos, ſed Notarios, Scribas, Pædotribas, Sæculares, imo etiam Fœminas in illud facinus incidiſſe.*

* *Ibid.* § 4. p. 24.

* *Ibid.* p. 23. & *ſeq.*

Hæc & alia plura non diſſimulas in Tractatu *de re diplomatica.* In quo quidem relucet plena candoris ac veri amans indo-

les, quam probi viri mirantur & prædicant. Verum ut tu laude dignus, qui longo rei diplomaticæ tractandæ usu deprehensam Falsariorum improbitatem palam detexeris: ita excusandi sunt, qui cum ex te didicerint tam multos Falsarios & tanta licentia ubique esse grassatos, verentur ne fortè ab iisdem conficta sint diplomata, quæ libro tuo continentur.

Timorem hunc augent Auctores illi, qui veterum diplomatum collectiones ante te adornarunt. Quota enim pars diplomatum illorum genuina dici possit? Atque ut initium ducam ab iis quæ in unum congessit * Labbeus noster, quorumque plurima, ut erat eruditus ac diligens, ipse suspecta habuit, aut falsa judicavit: an synceram dices char-

* *Hist. Sacr. tom. 2.*

tam * illam, in qua Clodovæus sita in regno Burgundiæ prædia donat, priusquam Burgundiæ regno potiretur? Illamne, in qua * Ostregesillus centum annis antequam Biturigum Episcopus consecratus fuisset, Episcopum se profitetur? An illam * quæ dicitur data à Clodovæo anno Christi 524. hoc est annis tredecim post Clodovæi mortem? An aliam * in qua ponitur S. Germanum anno decimo septimo Childeberti jam tum fuisse Parisiensium Episcopum? An illas, * quibus vel Arnulphus Metensis Episcopus decennio post mortem, vel * Clodovæus secundus sexennio aut septennio ante ortum suum consensisse dicitur? Has & alias plures quas Labbeus retulit, non recensebis certe inter synceras & genuinas.

* *Hist. Sacr. tom. 2.* Melange curieux. *p. 385.*
* *Ibid. p. 388.*
* *Ibid. p. 394.*
* *Ibid. p. 398.*
* *Ibid. p. 51.*
* *Pag. 414.*

Sed neque negas falsa esse quamplurima diplomata ex iis quæ Dubletus Dionysianus Monachus in Monasterii sui Archivo reperta omnium oculis subjecit. Fateberis falsa Dagobertina * quatuor, in quibus Episcopus appellatur Eligius, qui nonnisi tertio anno post Dagoberti obitum factus est Episcopus. Falsa item judicabis tria * quæ Monasterio Dionysiano Abbates tunc præfuisse dicunt, quos longe post hæc tempora vixisse non ignoras. Numerabis quoque inter spuria * duo alia Dagobertina, in quibus mentio fit veteris chartæ quam *donationem Constantinianam* vocant, quamque Dagoberti sæculo multo posteriorem esse constat. Longe potiori jure rejicies, & duo illa * quæ pluribus annis post

* Antiq. & Rech. de S. Denis, *p. 657. 659. 671. 672.*

* *Pag. 660. 670. 672.*

* *Pag. 657. 661.*

* *Pag. 677. 679.*

Dagoberti mortem à Dagoberto ſubſcripta dicuntur : & illud * quod Clodovæo ſecundo tribuitur, adjunctumque habet conſenſum Comitum Flandriæ ac Normanniæ, cum tunc nec eſſent ejuſmodi Comites, nec ulla in Francorum regno Provincia quæ Normannia vocaretur. Præterea tum alia multa, tum illa certe quæ tanquam diplomata autographa proferuntur, nec ullam habent temporis notam, ut ſpuria repudiabis ; ſiquidem non ignoras jam tum legibus cautum fuiſſe * *ut ſcriptura non valeret, niſi in qua annus & dies evidenter oſtenditur.*

* *Pag. 681.*

* *Dagob. in Lege Alaman. tit. 93.*

Quid jam dicam de veteribus illis chartis quæ editæ ſunt in Monaſtico Anglicano ? * Charta S. Patricii, quæ cæterarum veluti agmen ducit, anilibus fa-

* *Monaſt. Anglic. tom. 1. part. 1. p. 11.*

bulis plena est ; & ea continet quæ nec sanctissimo illi Episcopo,nec temporibus quibus vixit, conveniunt. Multas alias spurias esse probat vel sola temporis nota. Charta quam Athelbertus * Rex dedisse fertur anno Christi sexcentesimo notata est Indictione septima, & debuit notari tertia. In alia * quæ eidem Regi tribuitur, annus est Christi sexcentesimus quintus & Indictio sexta: in alia * quæ est Bertwaldi Regis annus Christi sexcentesimus trigesimus quintus legitur cum Indictione decima tertia conjunctus : in alia * quæ est Regis Inæ habetur annus Christi septingentesimus vigesimus quintus & Indictio quarta : atqui tamen in his tribus Chartis debuit esse Indictio octava.

* *Ibid. p. 27.*

* *Ibid. p. 24.*

* *Ibid. p. 30.*

* *Ibid. p. 14.*

Plura

Plura hîc congerere de Belgicis Germanicisque Chartis minime neceſſe eſt. Hoc unum volo, quod certe non negabis, multa paſſim occurrere diplomata à Falſariis fabricata : atque hæc reperiri in iiſdem ſcriniis, ubi illa ipſa ſervantur, quæ vera & autographa eſſe prædicas. Quod cum ita ſit, ignoſcere debes, ſi ego ea re timidior factus ſcrupuloſius exigam, ut exponas quibus tandem notis & coloribus hæc, quæ laudas, genuina eſſe deprehenderis.

Quemadmodum enim ſi quis unam ex illis domibus, quas expoſititiis infantibus educandis Chriſtiana pietas deſtinavit, ingrediatur ; quia degentes illic infantes pleroſque eſſe ſpurios novit, incertos omnes pronunciat ; neque ex illis quemquam

pro legitimo habet, quin ille legitimum se certissimis signis demonstrarit : ita etiam, quia vetustissima quæque tabularia adulterinis diplomatibus fœta esse novimus, omnia quæ illinc prodeunt instrumenta, pro dubiis & incertis habere debemus, donec illa manifestis argumentis vera & legitima esse probentur. Neque nostrum est in iis notam ostendere falsitatis. Hoc ipso suspecta sunt & dubia, quod simul cum falsis & dubiis asservata non habent notam qua ab istis secernantur. Tuum erat ergo diplomatum, quæ protulisti, veritatem probare : non probasti : remanent illa suspecta & dubia.

CAPUT III.

Vetuſtiora diplomata vera vix poſſe, ut nunc res ſunt, certo ſecerni à falſis.

REPUTANTI mihi qua tandem ratione demonſtrare poſſis inſtrumenta, quæ dicis autographa, reipſa eſſe talia, nihil quicquam occurrit quod ſatisfaciat. Equidem intelligo plura eſſe ſigna eaque certiſſima, quibus diplomatum falſitas interdum innoteſcit : ſed veritatis detegendæ ratio non eſt eadem, quæ falſitatis.

Falſi convincitur Charta, quoties in illa mendum animadvertitur, quod homini cujus charta nomen habet, tribui nullo pacto poteſt. At cum nihil tale apparet, non idcirco conſequens

est chartam esse veram ac legitimam. Quid enim, si alia insint vitia, & nobis lateant? Quid si charta concinnata fuerit ab impostoribus, qui, ut facile fuit, vel fortunæ beneficio vel prudentia sua caverunt, ne vel recepto temporum ordini, vel antiquioribus monumentis ulla in re contradicerent? An charta legitima censenda erit, quia ab iis confícta qui astutiores fuerunt vel feliciores? Absit. Hoc unum jure à nobis requiras, ut ne falsis annumeremus instrumenta, quorum falsitas nullis se manifestis indiciis prodit. At eodem jure peto, ut ne veris atque indubitatis annumeres, sed dubia & incerta maneant, quorum veritatem nemo potest certis argumentis demonstrare.

Minime vero, inquies; sed

ejus eſt qui Autographorum fidem ſuſpectam facit, hujus ſuæ ſuſpicionis rationem reddere. Atqui iſtud ipſum abunde, ni fallor, eſt jam præſtitum. Suſpecta mihi ſunt tua Autographa; tum quia nonniſi ægre fieri potuit, ut vetuſtiſſima Autographa à remotiſſimis temporibus ad nos uſque integra pervenerint, tum maxime quia video illa proferri à te ex iis locis, ubi magna eſt ſpuriorum diplomatum copia. Chartas deprome ex Tabulariis publicis, aut ex iis ſaltem quæ contra Falſariorum perfidiam ſemper munita fuerint: atque illas, ſi vitio careant, vendita pro indubitatis, exige à nobis agnoſci ut veras. Sed quandiu chartas ex eadem officina educes, in qua fateris permultas eſſe vitiatas, interpolatas, adul-

terinas; noli certas dicere & indubitatas, priusquam tales esse probaveris. Nam si prudens Judex hominem inter Prædones deprehensum, quamvis nullo scelere convictum, suspectum tamen habet, donec ille contractas in ista prava societate suspiciones expurgaverit: quidni chartas, quæ ex iis scriniis prodeunt ubi adulterinæ multæ servantur, fas sit pariter pro suspectis habere, donec demonstratum fuerit debere illas esse ab omni suspicione immunes?

Hoc autem quomodo demonstrari possit non intelligo. Nullæ enim, ut nunc res sunt, videntur haberi posse notæ, quibus priscorum sæculorum Autographa syncera à falsis certo secernantur. Unde enim notæ ejusmodi deducerentur? ex sigillo, scri-

pturæ forma, chirographis & aliis ſimilibus? At iſthæc omnia peſſima Falſariorum arte corrupta eſſe conſtat.

Ad ſigilla quod attinet, primo certum eſt inſtrumenta multa ex iis quæ veterrima dicuntur, eſſe ſine ſigillo: neque ſi ſingula ſigillum haberent, videtur inde quicquam concludi poſſe. Nam cum Falſarii non ignoraverint *modum faciendi ac placandi ſigillum*; cum ipſe doceas novem fuiſſe rationes, quibus Romanorum Pontificum ſigilla & Papales Bullæ falſari poſſunt; ſemper erit timendi locus ne in ipſo ſigillo fraus commiſſa fuerit, ne ſigillum mentitum ſit, aut fuerit arte mala ab uno diplomate in aliud tranſlatum.

De ſcriptura & chirographis duo ſunt quæ dicam. Pri-

mum est fuisse plures è Falsariorum numero, qui scripturam quamlibet imitari & exprimere potuerint. Alterum neminem esse jam à quo Regum vel Notariorum Regiorum, qui septimo, octavo & nono sæculo vixerunt, manus & scriptura possit agnosci: proindeque deducta ex scripturæ formâ & Chirographis argumenta non valere.

Atque ut exemplis aliquot ostendamus, quam infirmum sit ad probandam alicujus diplomatis veritatem petitum ex sigillo, chirographis aliisque ejusmodi signis argumentum: ingenuè, quæso, pro more tuo expone, quid sentias de celeberrimo illo Childeberti diplomate, quod in Regio S. Germani Monasterio asservatum laudat

* Labbeus noster; quid de illo Dagobertino * in quo cervi ad S. Dionysii sepulcrum confugientis historia narratur; quid de illo Clodovei secundi * quod primum descripsit Dubletus. Nullum profecto ex his tribus syncerum affirmabis. Primum quidem satis aperte condemnasti falsi, cum * fassus es genuinum diploma autographum nullum esse à te visum, quod esset Dagobertinis antiquius. Alia duo nemo vel modicum eruditus viderit, quin statim proclamet adulterina. Atqui tamen primum scriptum est in cortice, & habet sigillum integrum, in quo Childeberti imago non obliqua, sed in anteriorem partem plane obversa cernitur. Secundum scriptum quoque in cortice, chirographis plurimis firmatum est.

* *Hist. sac. tom. 2. p. 21. & 40.*

* *Doublet Antiq. & Recher. de l'Abb. de S. Denis lib. 3. p. 657.*

* *Ibid. p. 681.*

* *De re diplomat. lib. 5. p. 376.*

Tertium non chirographis tantum, ſed & ſigillo munitum. Igitur nec corticea aut Ægyptiaca papyrus, nec multiplicata ſubſcribentium teſtium nomina, nec ſigilla regia veterrimis chartis appoſita, certiſſima ſunt ſigna veritatis: ſiquidem hæc omnia falſis pariter ac veris diplomatibus ſunt communia.

Poſſem hic plura congerere exempla, ut optime noſti: unicum tantum addam, ne longiori ſermone faſtidium tibi & Lectoribus patiam.

Lindavienſe * diploma Hermannus Conringius, Stephanus Baluzius, tuque ipſe adulterinum pronunciaſtis, nec ſine cauſa. Iſtud tamen qui concinnavit, quam prope acceſſerat ad verorum diplomatum imitationem, ſi modo nullam in eo Ra-

* *Lindavia Lindavv. Urbs ad lacum Conſtantienſem.*

bani Mauri, ut facile poterat, feciſſet mentionem; aut ſi Præſulem illum non dixiſſet jam tum fuiſſe Moguntinæ Eccleſiæ Metropolitam? Tolle hoc mendum, diploma ſpurium omni fere ex parte ſimillimum erit vero. Quippe ut teſtaris ipſe * *ſi attendamus ſcripturæ ac ſigilli formam, qualem æri incidi curavit Conringius, nihil ſyncerius. Utrumque enim omnino convenit cum Ludovici Pii diplomatibus. Favent etiam chronologicæ notæ, ſi annum Incarnationis alia manu extra ordinem appoſitum excipias; favet Imperatorium Monogramma; favet denique Hugonis Notarii ad vicem Herminmaris recognitio.*

Hiſtoricæ vindiciæ pro Hermanni Conringii cenſura in diploma Lindavienſe. p. 18.

Neque ea in re diſſentit tibi Baluzius qui idem diploma examinavit. Ita enim ſcribit * ad Willelmum Erneſtum Tenze-

* *Ibid. pag. 125.*

lium. *De rebus vero & nominibus appositis in calce præcepti, sic habeto, vir doctissime, nihil in eis falsum esse, omnia optime cohærere.... Has notas ex quodam vero Ludovici Pii Præcepto descripsit (impostor) ut facilius fidem figmento suo conciliaret.*

Constat ergo Lindaviense diploma, quod tu, quod Conringius, quod Baluzius, quod Tenzelius aliique eruditi viri falsum judicastis, habere tamen sigillum, scripturæ formam, notas Chronologicas, Imperatorium monogramma, Notarii recognitionem, in quibus nihil apparet falsi. Atque adeo non possunt hæc adduci, ut probetur indubitata esse autographa, de quibus inter nos disceptatur. Sed neque illud colligi potest ex eorumdem diplomatum scriptura,

ra, Ortographia & ſtilo, ut ſequentibus capitibus oſtendam.

Caput IV.

Antiquiorum diplomatum veritatem ex ſcripturæ forma nullatenus colligi poſſe.

Vetustissima diplomata quæ profers, non exarata ſunt Romanis notis; ſed barbaro quodam genere ſcripturæ, quam Merovingicam & Franco-gallicam idcirco appellas, quod putas in uſu fuiſſe cum Merovei Regis nepotes Francorum ſolium in Galliis occuparent. Scriptura hæc lectu difficilis eſt; tum quia ſingularum litterarum lineamenta, longioribus expreſſa ductibus & inter ſe mutuo implicita, confuſionem pariunt; tum quia figura

ipsa litterarum est insolens, & à nostro usu non parum remota.

Jam vero in libris *de re diplomatica* tanquam certum assumis, scripturæ formam hanc omnino propriam fuisse diplomatum Merovingicorum ; atque adeo utilem esse posse ad secernenda diplomata vera à falsis. Istud autem quod assumis, videtur mihi triplici ex capite posse impugnari. 1. Constat usurpatam à Romanis scribendi formam, inter Francos ab initio fuisse receptam. 2. Incertum est an primis Franciæ Monarchicæ temporibus barbara illa scriptura in diplomatibus Merovingicis exhibita, à Francis fuerit cognita. 3. Certum est hoc ipso scripturæ genere usos fuisse Falsarios, ut diplomata adulterarent.

1. Ac primo quidem scriptu-

ram Romanam fuiſſe Francis cognitam atque ab illis receptam, etiam ante Clodovei magni tempora, manifeſtum facit aureus Childerici Regis annulus aſſervatus in Bibliotheca Regia. Qui annulus Principis armati effigiem habet, cum hac characteribus Romanis circumpoſita inſcriptione: CHILDIRICI REGIS. Inductum antiquitus morem deinceps perſeveraſſe evincunt Theodeberti, Childeberti, Chariberti, Dagoberti, Sigeberti, Clodovei, Childerici aliorumque numiſmata, in quibus inſcripta verba, ut ſermonem, ita characterem referunt Romanum, aut eum ſaltem qui ad Romanum accedat proxime, & longiſſime à Merovingico recedat. Neque aliud habent quæ prioribus Franco-

rum temporibus fuerunt incisæ lapidibus inscriptiones. Romanus character ubique occurrit, nullibi Merovingicus. Latinas non Franco-gallicas litteras in plerisque vetustioribus manuscriptis codicibus reperiri ipse * ultro fateris. Imò addis * scripturam Merovingicam, nec litteratorum hominum fuisse nec vulgi: sed tam in libris, quam in epistolis aliisque scriptis, Romanum characterem communiter adhibitum fuisse; in illis quidem cultiorem, in his vero neglectiorem.

** De re diplomat. lib. 1. cap. 11. num. 3. p. 46.*

** Lib. 5. p. 348.*

2. Incertum est, an scriptura Merovingica in diplomatibus instrumentisque juridicis vere locum unquam habuerit. Omitto quam videatur à communi usu & ab omni specie veri alienum, ut qui diplomata non bar-

baro ſermone, ſed Romano, ſcribi ab initio voluerunt Franci, iidem ſcripturam Romanam à diplomatibus proſcripſerint: in iiſque juſſerint veterem ſcribendi formam retineri, quam à Monetis, libris & aliis quibuſvis ſcriptis abjecerant. Hæc, inquam, omitto & peto, quo tandem argumenti genere probare poſſis ſcripturam Merovingicam ſub primis Francorum Regibus in uſu fuiſſe.

In probationem hujus rei adduci non poſſunt diplomata, de quibus ambigitur, veràne ſint, an ſpuria; ſcriptàne ſub Merovingicis Regibus, an longe poſt illa tempora à Falſariis obſoleto ſcribendi genere idcirco exarata, ut antiquitatem improbi homines hac arte mentirentur. Ipſorum diplomatum verita-

tem certam prius facere debes, quam ex illis definias, quæ ſcriptura temporibus, quorum notas habent, fuerit recepta.

Neque ſcripturæ Merovingicæ auctoritatem accerſere potes ex vetuſtis codicibus manuſcriptis. Duos enim ſolummodo reperiſti hoc ſcripturæ genere exaratos. Unus Gregorii Turonenſis libros aliquot de Hiſtoria Francorum, alter Hieronymi & Gennadii libros de viris illuſtribus continet. Primum, quem Monaſterii Corbeienſis quondam fuiſſe * aſſeris, mutuatus es à D. Claudio Jólio tunc Eccleſiæ Pariſienſis Cantore, qui aliquot annis ante mortem codicem hunc cum cætera ſupellectili libraria inſigni ejuſdem Eccleſiæ Capitulo donavit. Secundus in monaſterii tui Bi-

* *De re diplom. lib. 1. cap. 11. n. 9. pag. 49.*

bliotheca modo asservatus, illuc etiam * ex Cœnobio Corbeiensi asportatus est. Verum pace tua dixerim, nihil ex his duobus codicibus pro scriptura Merovingica concludi posse.

* *Ibid. lib. 5. in notis ad tab. 3. pag. 348.*

Quod ad primum attinet, cum illum in manibus haberem, & conferrem diligenter cum diplomatibus Merovingicis quæ incidi in ære curasti, visa est scriptura valde dissimilis. In codice Joliano litteræ plurimæ sunt Romanæ, quibus intermixtæ quidem non paucæ forma plane barbarica: sed istæ nec longioribus illis ductibus implicantur, nec eodem quo in diplomatibus modo inter se connectuntur. Alterum codicem non vidi: at litteras Merovingicas non perfectè in ipso repræsentari, vel ex eo certum est, quod

tu in his rebus adeo versatus, codicem tamen Longobardicis characteribus, non Merovingicis, scriptum * olim existimaveris.

** De re diplomat. lib. 5. in notis ad tab. 3. p. 348.*

Verum etsi uterque codex cum scriptura, quam Merovingicam esse asseris, omnino consentiret, nihil quicquam inde conficeres; quia codices illi nullam, quod sciam, habent notam temporis; ætasque illorum tantummodo æstimatur ex illa ipsa scriptura, de qua nunc controvertitur inter nos, verène an falsò Merovingica sit. Imo non esse scriptos sub Merovingis Regibus videtur ex eo concludi posse, quod in Monasterio Corbeiensi, ubi primitus ambo asservabantur, scriptos fuisse sit admodum verissimile. Atqui sub Merovingis Regibus in libris

deſcribendis adhibitos fuiſſe à Monachis Corbeienſibus Romanos characteres, non Merovingicos, conſtat ex variis ſpeciminibus, quæ tu libri quinti tabulis octava & nona repræſentaſti cum ſuis notis chronologicis.

Reſtant Scriptores veteres à quibus Merovingicam ſcripturam laudatam eſſe affirmas. Primum appellaſti * Chronici S. Michaëlis in agro Virdunenſi Auctorem, qui undecimo ſæculo vixit. At ille nihil habet, quod tuam cauſam adjuvare poſſit. Ait Wlfoaldi Comitis, qui fuit ejus loci conditor, teſtamenta nonniſi *reſcriptorum adminiculo legi potuiſſe:* nempe quia erant *vetuſtate confecta :* non vero quod eſſent Merovingico charactere exarata.

* *De re diplomat. lib. 1. cap. 11. n. 9. p. 49.*

Apertius favet tibi Libellus

de gestis S. Beregisi Abbatis Andaginensis. Ubi enim agit de charta donationis factæ Ecclesiæ Andaginensi sub Theodorico Rege, sic loquitur : *Cùm ergo hanc discuterem, & pro difficultate barbaricæ scripturæ non facile penetrarem, adverti tandem...* ubi Auctor manifestò testatur chartæ, de qua agit, scripturam non fuisse Romanam, sed *barbaricam.* Hoc me plane in tuam sententiam deduceret, si constaret mihi chartam ipsam non fuisse spuriam. Sed cum ille Auctor non scripserit ante seculum decimum, quo tempore Falsarii, ut ipse concedis, multa jam instrumenta falsa adornaverant, ac veris substituerant; Scriptoris Anonymi auctoritas hoc tantum probat, sæculo decimo in Monasterio Andaginensi chartam fuis-

ſe unam ſcriptura barbarica exaratam : at non probat ſcripturam barbaricam verè ſub Theodorico Rege inter Francos fuiſſe receptam.

3. Nunc ad tertium, quod initio propoſueram, veniamus : nimirum Falſarios barbaro illo ſcripturæ genere, quod tu Franco-gallicum & Merovingicum vocas, uſos eſſe ad effingenda falſa diplomata. Atque iſtud quidem fuſius probare nunc ſuperſedebo, cùm paulo poſt ſim oſtenſurus falſa eſſe plura ex his diplomatibus, quæ Merovingico charactere ſcripta, tanquam certa indubitatorum autographorum ſpecimina propoſuiſti. Unum tamen hoc loco præterire non poſſum : nempe ſcripturam, quam Merovingicam dicis, tam potuiſſe familia-

rem esse Falsariis, quam scripturam veterem Longobardicam, qua Falsarios usos esse ex te sic demonstro.

Extat in Bibliotheca Regia charactere Longobardico scriptum in papyro Ægyptiaca vetus instrumentum, quo Gratianus Stephani tutor profitetur se à Germano id accepisse, quod Stephano pupillo ex testamento competebat pro tertia hæreditatis portione. Instrumentum istud, quod datum est Ravennæ, & notatum trigesimo octavo Justiniani Imperatoris anno, eruditissimus Brissonius aliique vocant *chartam plenariæ securitatis.* At tu ipsum C. Julii Cæsaris testamentum autographum esse aliquando putaveras, deceptus titulo, qui * *eodem scripturæ genere in aversa chartæ Ægyptiacæ parte*

* *De re diplomat. lib. 5. p. 460.*

parte descriptus his verbis videbatur: C. JULII CÆSARIS TESTAMENTUM L. PISONE SOCERO RECITATUM IN DOMO IDIBUS SEPTEMBRIS. Quem quidem titulum merito conquereris * *Regio Instrumento perperam fuisse impositum à nebulone quodam male feriato, qui Hamoni tibique fucum fecit.* Ego conqueror eundem titulum jam non extare, & fuisse deletum: poterat enim utilis esse ad dijudicandum ipsáne charta sincera sit, an falsa. Quippe cum in comperto habeatur titulum, ut verbis tuis utar, opus esse * *otiosi cujusdam scribæ* & * *nebulonis male feriati;* tota charta ab eodem *nebulone* fabricata sit oportet, si modo eadem qua titulus manu, ipsa exarata est. In titulo & in charta idem fuisse scripturæ genus pa-

* *Ibid. p. 344.*

* *Ibid. p. 460.*

* *Pag. 344.*

lam * ipse doces: sed non addis eandem fuisse manum.

* *De re diplomat. lib. 5. pag. 460.*

Hoc ut explorarem Bibliothecæ Regiæ, ubi charta etiamnum asservatur, Custodes adivi, qui videndæ illius copiam facillime mihi pro sua humanitate fecerunt. Charta quidem integra hactenus perseverat: verum cum periculum esset, ne papyrus Ægyptiaca pro materiæ caducitate sensim difflueret ac dilaberetur, tota applicata telæ est, & ope glutinis affixa. Ita subtractus est oculis, qui fuerat descriptus in aversa chartæ parte titulus: neque amplius licet hunc cum charta conferre, & explorare eademne manu ambo scripta fuerint, an diversâ.

At tuo & Hamonis testimonio istud constat, idem in titulo

& in charta fuisse scripturæ genus. Ergo cum charta exarata sit scripturâ quam vocas veterem Longobardicam, & titulus, te ipso auctore, *à nebulone male feriato* fuerit additus, in confesso esse debet scripturam veterem Longobardicam *nebulonibus male feriatis* non fuisse incognitam. Quid vetat hoc ipsum conjici de Merovingica? Verum nihil conjecturis opus est, ubi res per se patet. Quippe, cùm firmissimis postea demonstraturus sim argumentis, multa ex editis à te diplomatum Merovingicorum speciminibus esse adulterina; iisdem argumentis manifestum fiet scripturam Merovingicam fuisse Falsariis maxime familiarem.

Unum est quod hic opponi possit, nempe Falsarios in adul-

terinis instrumentis non adhibituros fuisse barbaricam scripturam, quæ Merovingica dicitur, nisi hac olim Francos usos esse comperissent. Quid si reponatur impostores istos nihil aliud in scribendis spuriis chartis curavisse, quàm ut longissimè recederent ab usu communi; & barbaram idcirco affectasse scribendi formam, ut conficta instrumenta eò viderentur vetustiora, quò magis à vulgari scriptura abhorrerent? Ut ut est, sive scriptura Merovingica verè in usu fuerit olim inter Francos, quod omnino negare non ausim, sive non; istud saltem certum est & indubitatum, veterum instrumentorum veritatem nullo pacto posse ex ea colligi, si modo probatum fuerit hanc quoque à Falsariis olim receptam fuisse.

CAPUT V.

Exhibita in Libris de re diplomatica autographorum veterum ſpecimina ſuſpecta reddi ex peſſima ipſorum orthographia.

MENDOSAM eſſe vetuſtiſſimorum diplomatum tuorum orthographiam, puto, facilè concedes: at fortaſſe miraberis fidem ipſorum inde mihi ſuſpectam eſſe potuiſſe. Fuit tamen: nec temere, ut arbitror. Tuo ac eruditi Lectoris judicio rem totam lubens permitto.

Inſtrumenta regia debuiſſe ſub Merovingis & Carlovingis Regibus recte & accurate ſcribi, duo ſunt quæ mihi perſuadent: perſonarum, quibus cura hæc demandabatur, dignitas, & iſtorum temporum mores.

Enimvero quinam instrumenta regia tunc temporis scribebant? Referendarii scilicet & Notarii Regii, quos plerumque eruditissimos fuisse constat, & ab hoc suo munere ad primarias Ecclesiæ dignitates evectos: quos saltem nemo dixerit receptum in instrumentis sermonem Romanum ignoravisse, atque ejus scribendi leges non calluisse; præsertim cùm certum sit his temporibus orthographiam in magno pretio fuisse inter eruditos.

Quanti tunc æstimata fuerit, testis est Cassiodorus in eo, quem anno ætatis suæ nonagesimo tertio, hoc est quinquaginta circiter annis post Clodovei mortem scripsit, de orthographia libro. Quem quidem ex variis Autoribus collectum edidit nobi-

lissimus Abbas, ut Monachis satisfaceret, qui, quemadmodum ipse ait, prorumpere in hæc verba & subito clamare cœperunt. * *Quid prodest cognoscere nos, quæ antiqui fecerunt, vel ea quæ sagacitas vestra addenda curavit, nosse diligenter; si quemadmodum ea scribere debeamus, omnimodis ignoramus; nec in voce nostra possumus reddere, quod in scriptura comprehendere non valemus?* Quod utrumque Monachorum suorum studium scribendi rectè & pronunciandi pius pariter ac doctissimus senex approbat his verbis. * *Gloriosum profecto studium,* ait, *& divinis ac humanis litteris, ut videtur, accommodum, quod loqui debeas, competenter scribere; & quæ scripta sunt, sine aliqua erroris ambiguitate proferre! Vox enim articulata à pecoribus*

* *Cassiodorus Præfat. in lib. de orthographia.*

* *Ibid.*

nos sequestrat: scribendi vero ratio ab imperitis nos dividit & confusis.

Neque in Italia tantum præcepta pronunciandi rectè & scribendi tunc temporis tradita sunt: sed in Oriente etiam ac Constantinopoli, ubi Cassiodori ipsius æqualis Priscianus Grammaticus librum ea de re composuit. Hispanos quoque circa eadem tempora orthographiam non ignoravisse satis aperte demonstrant Isidori Hispalensis libri *Originum*. Mirum esset igitur eadem ætate rationem rectè scribendi solis in Galliis fuisse neglectam.

Istud nullatenus contigisse, sed Francos etiam in orthographia tunc fuisse exercitatos, intelligimus ex manuscriptis codicibus, qui ab illis remotissimis

temporibus ad nos uſque pervenerunt: in quibus orthographiæ leges multò ſervantur accuratius, quam in chartis & diplomatibus regiis. Cùm ergo Amanuenſes Librarii rectè ſcribendi artem non ignoraverint, peto cur eadem fuerit Scribis Regiis & Referendariis incognita? cum illi libros Latinos ſatis emendatè ſcripſerint, cur hi Latinas voces in diplomatibus paſſim decurtaverint, & elementorum immutatione, tranſlatione & additione deturpaverint. Quæ frequentiſſima ſcripturæ vitia condonantur quidem rudibus & imperitis artificibus, quales eſſe ſolent illi quibus inſcribendi aliquid in marmore vel in ære labor demandatur: in Notariis vero & Referendariis Regiis nullatenus excuſari poſſunt.

Neque dicas illos receptum ætate ſua ſcribendi morem eſſe ſecutos. Id enim ſi accidiſſet conſtanter & eodem ſemper modo errarent. At nihil ſcriptura diplomatum Merovingicorum inconſtantius.

1. Nomina eadem, eaque maxime vulgaria, non uno aliquo ſimplice modo, ſed variis & valde diverſis ſcribuntur. Quid notum magis in Francia Dionyſiano Monaſterio? Quid Scribis regiis magis debuit eſſe familiare? Atqui tamen mirum quantopere in eo ſcribendo diſſideant. Modo ſcribitur *baſileca* * *Domni Diunenſi Martheris* : modo *baſilica* * *beati Dionyſii martyris* : modo *Monaſtyrium* * *ſancti Dionyſiæ*: modo *monaſterium* * *domni Dionìſiæ* : alias *baſelica* * *ſancte Dionyſii* : alias *baſileca* * *domni Diu-*

* *De re diplomat. lib. 6. p. 461. diplomate V.*

* *Ibid. p. 456. diplom. VII.*

* *Ibid. p. 469. dipl. X.*

* *Ibid. p. 470. dipl. XII.*

* *Ibid. p. 785. dipl. XXXII.*

* *Ibid. pag. 477. diplom. XXI.*

nensie; ita ut vel in ſcribendo nomine ſancti Dionyſii ſexies fuerit variatum. Quid dicam de Chainone Dionyſiano Abbate, qui in diplomatibus ejuſdem ætatis ſcribitur *Chaino, Haino, Chæno* & *Chagno*? Quid de innumeris aliis vocibus, in quibus par eſt diſcrepantia? Quis credat, vel tantam in ſcribendo inconſtantiam uſu tunc inductam fuiſſe, vel receptum ſcribendi uſum à Scribis regiis fuiſſe ignoratum?

2. Eadem obſervatur inconſtantia inter ea diplomata, quæ uni eidemque Regi tribuuntur. Conferantur inter ſe v. g. collecta in ſexto tuo libro diplomata duo * XVIII. & XIX. Utrumque Clodoveco tertio tribuitur: primum datum dicitur anno regni ejus ſecundo, ipſis Calendis

* *Ibid. pag. 474. & 475.*

Novembris : alterum anno ſequente pridie Calendas Martias.

In primo legitur:	In ſecundo:
patrebus	*patribus.*
optematis	*optemates*
gravionebus ...	*grafionebus.*
reſederimus	*reſidiremus.*
nuncupante	*noncupanti.*
nus	*nos.*
procerebus	*proceribus.*
conſtitet	*conſtetit.*
teſtimuniavit ..	*teſtimonium.*
fuiſſet	*fuiſsit.*
dinuſcitur	*denuſcitur.*
jobemmus	*jubimus.*
adjacentias	*ajecientias.*
omne tempure ..	*omni tempore.*
habeant	*habiat.*
evendegatum ..	*evendecatum.*
ſub die	*pridiæ.*
anno ſecundo ...	*annum tertio.*
regni	*rigni.*

3. Neque

3. Neque hanc ſcripturæ diverſitatem in id rejicias, quod utrumque diploma quamvis ejuſdem Regis nomen habeat, non ſit tamen ejuſdem Referendarii. Neque enim magis conſentiunt, quæ tu eidem Referendario tribuis. In hujus rei probationem adduco chartas duas, quas eodem in ſexto libro integras exſcripſiſti, * decimam tertiam ſcilicet & vigeſimam: utramque ſubſcriptam teſtaris à Wlfolaëco Referendario, & exſcriptam à te ex autographo : & tamen in iiſdem vocibus diverſa utrimque occurrit orthographia. Nam legitur

* *Ibid. p.* 471. & 476.

In decima 3ª.	In vigeſima.
oportit	*oportet.*
dibiamus	*dibeat.*
dioniſiæ ter . . .	*dioniſii* ſepties.

vidiatur	*veditur.*
plena	*plina.*
decernemus	*decernimus.*
ordenandum . . .	*urdenandum.*
volemus	*volumus.*
acolabus	*accolabus.*
peculiis	*pæculiis.*
emunetatis	*emunitatis.*
nomine	*nomene.*
Chagno	*Chaino.*
lumenarebus . . .	*luminarebus.*
augmentis	*augimentis.*
meſericordia . . .	*miſericordia.*
manus noſtri . . .	*manus noſtræ.*
ſubſcripcionebus.	*ſubſcriptionebus*
optol	*optulit.*

4. Diverſa eſt orthographia non modo in iis chartis, quæ ejuſdem ſunt Regis vel ejuſdem Referendarii: ſed etiam in iis quæ eodem anno, eodem loco, ab eodem Rege, recognoſcente eodem

Referendario, datæ dicuntur. Componatur exempli cauſa ea quæ in libro ſexto tuo legitur * decima-quinta, cum illa quæ proxime * ſequitur. Ambas tribuis Clodoveo tertio : ambas recognovit Agnilus Referendarius : ambæ datæ ſunt Novienti, anno ſecundo regni Clodovei tertii, prior quidem die decima quinta Maii, altera autem die quinta Junii. Et tamen ſcribitur.

** De re diplomat. lib. 6. p. 473.*
** Ibid. p. 474.*

In priore	In altera.
Chlodovius . . .	*Chlodoveus.*
baſilica	*baſilea.*
ficit	*fecit.*
rigni	*regni.*
videtur	*viditur.*

5. Addo præterea non modo in diverſis chartis diverſam eſſe orthographiam : ſed etiam ſæ-

piſſime contingere, ut eædem voces cum in una charta recurrunt, diverſimode ſcribantur: verbi gratia in ejuſdem libri ſexti * charta decima ſexta, de qua modo dicebam, cum hac varietate ſcribitur

ſolidus	*ſoledus.*
fiſci	*fiſce.*
baſileci	*baſileca.*
Chaino	*Chæno.*
viditur	*videtur.*
vedentur	*videntur.*
rigna	*regna.*
pontaticus	*pontatecus*
rotaticus	*rotatecus.*
eximtis	*exemptis.*
inferre	*inferrire.*

Porro ex his & aliis pluribus exemplis quæ congerere poſſem, manifeſtum fit nullam eſſe orthographiæ formam, quæ in

vetuſtis diplomatibus à te exhibitis ex autographo, una conſtanter teneatur. Unde nullo pacto dici poteſt obſervari in illis orthographiam, quæ tunc temporis erat in uſu. Nam quod ſemel uſu receptum eſt, fixum manet & ratum, ac ſaltem per aliquot annos idem conſtanter perſeverat. Quod ſi varia illa & inconſtans orthographiæ forma, quæ in vetuſtis editis à te diplomatibus occurrit, non rejicitur in uſum illorum temporum; non video cuinam cauſæ tribui poſſit.

Equidem facile intelligo, quod eædem Latinæ voces variè ſcribi deberent, ſi is qui Latinè dictata ſcripto excipit, Latinum ſermonem neſciret: quia tunc ſingula ſcriberet temere, prout vox dictantis ad aures accideret.

At Notarios illos quibus inſtrumenta regia conficiendi cura olim committebatur, non intellexiſſe linguam, qua inſtrumenta ejuſmodi ſcribebantur, quis dicere audeat? quis credere velit? Cum ergo nulla ſeſe nobis offerat idonea ratio, cur adeo varia & inconſtans fuerit diplomatum tuorum orthographia, parce ſi de ipſorum fide ſequiorem aliquam ſuſpicionem concipiamus.

CAPUT VI.

Edita in libris de re diplomatica autographa, propter ſtili barbariem eſſe debere ſuſpecta.

VETUSTISSIMA autographa, quæ in libris *de re diplomatica* collegiſti, pleraque ſolœciſmis ſcatent, & ſtilo plane

barbaro ſcripta ſunt. Unum hîc cæterorum ſpecimen propono, à me idcirco ſelectum, quia breviſſimum eſt.

* *Theodorici filii Clodovei Regis Præceptum de villis Saucitho, Muntecellis &c. Chainoni diacono Dionyſiano conceſsis.*

* De re diplomatica Lib. 6. pag. 469.

Theudericus Rex Francorum vir inluster. Merito illi noſtri jovamen, vel conſolacione percipeunt, qui erga noſtris partibus fidilis eſſe inveniuntur. Idioque cognuſcat magnetudo ſeu utilitas veſtra; quod nus manſellus alicus in loca nuncopantis Saucitho, Muntecellis ſeu & Abniti, ubi Saxo ſervos commanire viditur, quem Decta relicta Chrodoberto quondam in concambio de homene, nomine Eligio, nuſcitur recipiſſe, vel de comparato ibidem habuit, venerabilis vir Chainone

Diacono plina & integra gratia visi fuemus concessisse. Quapropter hunc preceptum specialius decernemus ordenandum, quod in perpetuum volumus esse mansurum, ut ante dictus Chaino absque vestra aut cujuslibet contrarietate ex nostra indulgentia ipsius mancellus, in supra scripta loca, sicut superius est insertum, quicquid ipsa Decta de concamio, vel de comparatho aut de qualibet contracto nuscetur habuisse vel possedisse, hoc ad integrum cum quibuslibet beneficiis habiat concessum atque indultum, vel in sua domenatione hoc libere recipere ad possedendum: & quicquid ex inde facere voluerit, liberam in omnebus cum Dei & nostra gratia habiat potestatem: & ut hæc nostra autoritas firmiorem obteniatur vigorem, manus nostri subscriptionebus eam subter decrivemus roborare.

✠ *In Chriſti nomene Theudericus Rex ſubſcripſi.*
Droctoaldus juſſus obtulit.

Datum quod ficit minſis September dies XII. anno v. rigni noſtri. Marlaco in Dei nomine feliciter.

Ex autographo, anno 678. ut à te notatur in margine.

Similem ferme ſtilum habent vetuſtiſſima quæque autographa à te edita. Inquirendum nobis eſt, an ſtilus ille ſæculis congruat, quorum diplomata notas præferunt. Hoc autem ut exequamur, præcipui horum temporum Scriptores ſunt breviter à nobis recenſendi.

Superſunt etiamnum haud paucæ ſummorum Pontificum Epiſtolæ, qui rexerunt Eccleſiam Catholicam à Clodovei primi temporibus ad uſque Caroli Ma-

gni ætatem. In illis autem Epi-ſtolis oratio longioribus quidem ducta periodis, nec elegans; ſed gravis & plena majeſtate, nec omnino barbara. Jam vero ſi conſulantur ſcripta Boëtii, Caſſiodori, Ennodii, Victoris Capuani, Paſchaſii & Ruſtici Eccleſiæ Romanæ Diaconorum, Gregorii magni & aliorum, qui ſexto & proxime ſequentibus ſæculis Italiam doctrina ſua illuſtrarunt; an in iis quicquam ſeſe offeret, quod ad diplomatum barbariem accedat? Ea renidet in Boëtii & Caſſiodori libris elegantia & urbanitas, quæ politam florentis adhuc Romani Imperii ætatem non nihil ſapiat. Quod ad Gregorium Magnum attinet, ejus oratio non tam preſſa eſt & æquabilis quàm Leonis ipſius anteceſſoris, nec

tam lenis & amœna quàm Ambroſii : non eſt tamen horrida & inculta. Idem ferme affirmare poſſis de omnibus Italis ſcriptoribus ſeptimi & octavi ſæculi.

Quid jam dicam de Fulgentio, Ferrando Diacono Carthaginenſi, Junilio, Primaſio, cæteriſque Afris ſcriptoribus, quorum ſermo inciſim & nitide fluens, magnoque ſtudio elaboratus, tantum à diplomatibus tuis diſtat, quantum nunc balbutientis ruſtici ſermonem ſuperat erudita urbani ac ingenioſi hominis dictio.

Neque aliter ſentias, de iis qui eadem ætate Hiſpaniam ornarunt : Iſidorum Hiſpalenſem dico, Hildephonſum & Julianum Toletanos Antiſtites. Iſidori ſtilus nihil habet durum, nihil quod Lectorem offendat,

Libri de virginitate Beatæ Mariæ ab Hildephonso editi epithetis & synonymis vocibus luxuriant : at mendis & solœcismis non squalent. In Juliani Toletani scriptis dictio non est barbara ; res autem nitidè, ordinatè, pressè exponuntur, & ad erudiendum aptissimè.

Si quid in Tractatu de Virginitate, quem S. Adelmus Scotus Episcopus scripsit, reprehendas, illud maxime, quod dictionis flores & orationis cultum plusquam par sit affectare videatur. Nihil addam de venerabili Beda, cujus stilum à diplomatum tuorum stilo longe abhorrere nemo non videt.

Exteros quidem Scriptores, non Gallos, hactenus laudavi : sed incredibile est Gallias, quæ tanta doctissimorum Antistitum

& eruditorum hominum multitudine Ecclesiam locupletarunt, ex quo semel fidem catholicam amplexæ sunt, sexto tamen, septimo, & octavo sæculo neminem habuisse, qui Latine loqui & scribere posset : pejorisque conditionis fuisse, quam Africam duro barbarorum jugo oppressam, quam Hispanias tot ac tam diuturnis cladibus affectas, quam Britanniam vix dum ex Idololatriæ tenebris emergentem.

Neque verò, si Gallos scriptores requiras, non suppetunt plurimi quos tibi opponam. Proferam Aviti Viennensis, Remigii Remensis, Nicetii Treverensis aliorumque Episcoporum epistolas plenas ingenio, pietate, gravitate; nec, si temporum illorum rationem habere velis, ine-

legantes. Addam ejuſdem Aviti, Fortunati, cæterorumque carmina, quibus nihil fuit iſta ætate ſcriptum elegantius. Adjungam præterea ſanctorum Galli & Eligii Homilias, & varia plurimorum opera, quibus conſtat litteras Latinas ſub primis Francorum Regibus non fuiſſe in Galliis omnino neglectas.

Opponam etiam Gregorii magni auctoritatem, modo Deſiderium Epiſcopum Gallum reprehendentis, quod accuratioris ſermonis plus æquo ſtudioſus, & gradus ſui ac dignitatis immemor, artem Grammaticam cæteros doceret: modo Etherium Lugdunenſem laudantis, quod in Epiſtolis ejus reluceat *plena venerabili gravitate locutio*, qua ſic ipſe afficiatur, *ut mutuum ſemper libeat miſcere ſermonem.*

Sed opponam præſertim ſcriptam à ſancto Dadone, ſive Audoëno Rothomagenſi Archiepiſcopo, S. Eligii Noviodunenſis Epiſcopi æqualis & amici ſui Hiſtoriam & res geſtas, ſermone quidem ſimplice nec perpolito, ſed tamen cum Grammaticæ legibus congruente. Ille enim ipſe eſt Audoënus, qui ſub Dagoberto Rege & primis Clodovei ſecundi annis Referendarius fuit: cui conficiendorum diplomatum cura ex munere incumbebat. Peto ergo cur Audoëni, cùm Eligii laudes proſequitur, elocutio ſit ſane tolerabilis : & ejuſdem cum Regis nomine diplomata conficit, oratio ſit plane barbara.

Scilicet, inquies, geminus um erat Latinus ſermo. Alius ultior, quem eruditi viri in li-

bris adhibebant : alius incultus & vulgaris, qui erat in uſu communi, & locum habebat potiſſimum in inſtrumentis publicis.

Non equidem ignoro id tum contigiſſe, quod omnes ſingulis ætatibus experti ſunt, & nos quoque nunc experimur : nempe ruſticos homines & imperitam plebem loquendo multa contra Grammaticæ leges peccaſſe. Ita eſſe debuiſſe ratio evincit : ita reipſa fuiſſe Gregorius Turonenſis aperte teſtatur. Verum quibus argumentis, quæſo, probare poſſis, nobiles illos viros, quibus tum Referendarii munus committebatur, non politiorum ſed ruſticorum hominum ſermonem in diplomatibus regiis ſequi & imitari debuiſſe ? Quid ſi præterea demonſtretur ſermonem, qui in vetuſtis diplo-

matibus à te editis obſervatur, eſſe ruſtico illorum temporum ſermone multo deteriorem?

Age enimvero, qualem putas fuiſſe ſub Merovingis Regibus ruſticum ſermonem? Id intelligere quiſque poteſt ex ſcriptis Gregorii Turonenſis. Ipſe enim monet ſe ſcripſiſſe ſermone ruſtico: ſive quod ruri ſempér educatus, & procul à politiorum hominum commercio, Grammaticæ & Rhetoricæ nullàm operam dediſſet: ſive quod hunc ſermonem ad erudiendos Lectores aptiorem judicaret; quia, ut ait, * *loquentem ruſticum multi, philoſophantem Rhetorem pauci intelligunt.* Quidquid ideſt, ſic ipſe loquitur. * *Timeo ne cùm ſcribere cæpero, quia ſum ſine litteris Rhetoricis & arte Grammatica, dicat mihi aliquis, auſu ruſtico & idiota*

In Præfat. ad lib. Hiſt. Eccl.

In Præfat. ad lib. de gloria Confeſſ.

ut quid nomen tuum inter Scriptores indi æstimas? Et alibi. * *Aggrediar opus egregium rusticanus .... sed quid timeo rusticitatem meam?*

* In Præfat. ad lib. de mirac. S. Mart.

Cum ergo rustico sermone & vulgari scripsisse se Gregorius Turonensis affirmet, ut dijudicarem an diplomata quæ dicis Merovingica, rustico Merovingicæ ætatis sermone scripta sint, conferre illa volui cum libris Gregorii Turonensis. In his quidem, si urbium, locorumque nomina propria excipias, pauca admodum repperi, quæ Grammaticæ legibus adversentur: in illis autem vix ullus versus est, in quo contra easdem leges non multifariam peccetur. Neque hæc diversitas in Librarios jam rejici potest. Gregorii Turonensis textum recens ejusdem editor R. P. Theodoricus Ruinart,

ex vetuſtiſſimis codicibus manuſcriptis ævoque ipſius Gregorii exaratis, ut ait, nobis repræſentavit: diplomata Merovingica ex ipſis autographis tu exſcripſiſti. Quare neceſſario dici debet exhibita à te vetuſtiſſimorum diplomatum ſpecimina non eſſe ſcripta ſermone illo, quem ſub Merovingis Regibus plebs & ruſtici uſurpabant: ſed nec habent ſermonem qui tunc inter eruditos & nobiles erat in uſu: quo igitur ſermone ſcripta ſunt?

Superſunt Salicæ leges & Formulæ veteres, quarum ſtilum cum diplomatum ſtilo componamus. De legibus Salicis cum fortaſſe aliquando ſim fuſius diſputaturus, unum hic obſervabo: nempe in iis frequentiores eſſe quam in vetuſtis diplomati-

bus barbaras voces,hoc est Francicas : at menda contra Grammaticæ leges multo rarius reperiri.

Quod ad veteres Formulas attinet, quarum collectionem adornavit Marculphus sub Merovingis Regibus, cum Regni administratio jam tota esset penes Magistros Palatii; dicam libere quod sentio. Formularum illarum & diplomatum tuorum stilus valde diversus est, si factam ab eruditissimo Hieronymo Bignonio Formularum editionem consulamus : at vero eædem Formulæ non ita à diplomatibus abhorrent, si editionis Baluzianæ ratio habeatur. Quare in id jam recidit quæstio, utra editio anteponenda sit, utra Marculphi textum fidelius exhibeat. Ego Bignonianam po-

tiorem judico, tum plurimas alias ob cauſas, quas, ubi opus erit, proferam; tum præcipuè quia cum Marculphus, ſicut & Gregorius Turonenſis, profiteatur ſe ſermone ruſtico & vulgari ſcribere, debuit ſtilus ejus cum Gregorii ſtilo conſentire. Atqui apprime conſentit juxta editionem Bignonianam, contra diſcrepat juxta Baluzianam. Crediderim ergo Hieronymum Bignonium vetuſtioris ac melioris notæ manuſcriptos codices habuiſſe præ manibus & ſecutum eſſe; atque adeo editionem illius eſſe alteri anteponendam. Quod ſi ita eſt, certum redditur, quod initio hujus capitis innueram, nullum eſſe ſcriptum ejuſdem ætatis, cujus ſtilus cum diplomatum tuorum ſtilo congruat; & conſequenter diplo-

mata tua vel ex ipso stilo esse debere suspecta.

CAPUT VII.

De Archivo Dionysiano, ubi diplomatum illorum, quæ in libris de re diplomaticâ exhibentur, pars longè maxima asservatur.

NON aliud Monasterium aliamve Basilicam esse reor, in cujus Tabulario tot veteres chartæ asserventur, quot in Dionysiano: plures certe ex illo solo quam ex aliis omnibus eruisti. Quare neque nos mirari debemus, quod tam locupletis armamentarii auctoritatem adeo sollicite defendas: neque tu succensere, si quæ eandem auctoritatem infringere possunt, paulo importunius ingeramus. Tua pariter & nostra interest, anti-

quiſſimi Archivi fidem omnino eſſe exploratam. Hoc autem nunquam conſequemur, ſi ea quæ contra opponi poſſunt, aut nobis non liceat objicere, aut tu ſolvere recuſes.

Non eſt tamen in animo ſuſpiciones nunc denuo excitare, quas adverſus Archivum Dionyſianum Papebrochius aliique non paucas injecerunt, quaſque jam magna ex parte diſſipaſti. Aliud proponam quod forſan ideo non attigiſti, quia non fuerat objectum: quod ubi propoſuero, attentione tua dignum, ut ſpero, judicabis.

Andreas du Cheſne tomo primo collectionis ſuæ, typis mandavit * libellum, cui titulus eſt: *Geſta Dagoberti Francorum Regis Filii Clotarii ſecundi*, ex Bibliotheca viri clariſſimi A-

* *Hiſt. Franc. ſcriptores coætanei, tom. 1. p. 572.*

lexandri Petavii, Senatoris Parisiensis. Cujus libri Autorem, qui Anonymus est, Monachum fuisse Dionysianum * affirmat: qua in re ipsi * suffragaris: nec temere. Cui enim alteri tribuas scriptum, cujus Auctor hoc unum intendit, ut persuadeat bene illis esse qui Cœnobium Dionysianum prædiis & opibus auxerunt; male autem his qui erga idem Cœnobium minus se liberales & munificos præbuerunt?

* *Ibid.*

* *De re diplomat. lib. 6. p. 455.*

Libellum hunc cum legerem attentius, animadverteremque donaria omnia, quibus insignem S. Dionysii Basilicam ditaverant quidam antiqui Reges, curiose ab Auctore enumerari, recenserique diplomata seu Præcepta singula quæ datorum fidem facerent; venit in mentem diplomata illa conferre cum his, quæ

Jacobus

Jacobus Dubletus Monachus & ipse Dionysianus edidit in libro tertio * *de veteribus Cœnobii Dionysiani monumentis.* Statui præterea & hæc & illa cum iis componere, quæ in duobus postremis libris *de re diplomatica* collegisti.

* *Doublet. Antiq. & Recherc. de l'Abbaye de S. Denis.*

Quem quidem laborem cùm primum suscepi, futurum sperabam, ut ad confirmandam Tabularii Dionysiani fidem, novum mihi argumentum consensus vester suppeditaret. Consensuros enim non dubitabam, quos scirem Archivum idem consuluisse. Visum à se Archivum Dionysianum satis aperte * innuit Monachus Anonymus, cùm illud à Lectore inspici jubet; & laudata à se instrumenta illic integra permanere non semel asseverat. Archivum Dio-

* *Cap. 35. 40. 49.*

nysianum non negaveris lustratum à Dubleto, qui * deprompta ex illo ditissimo penu sexcenta & amplius diplomata *in publicos*, ut tuis verbis utar, *oculos produxit.* Te vero *non indiligentem fuisse ejusdem Archivi scrutatorem* * ipse profiteris. Cùm ergo vobis Archivum Monasterii vestri pariter patuerit, & licuerit singulis diplomata omnia tractare manu, oculis lustrare, & per otium excutere : non putabam fieri posse, ut in recensendis eorumdem temporum diplomatibus ulla inter vos esset varietas & dissensio. Summa tamen intercedit, & diffidetis fere in omnibus.

* *Antiq. & Recherc. de l'Abbaye de S. Denis, Liv. 3.*

* *De re diplomat. lib. 3. cap. 2. num. 5. p. 223.*

Anonymus Scriptor, cujus hic videtur fuisse scopus, ut quamplurima pietatis & munificentiæ erga Basilicam Dionysianam e-

xempla congereret, data in favorem ejuſdem Baſilicæ Præcepta Dagoberti Regis nonniſi quindecim numerat; & in his quædam non magni momenti. Adjungit Nandechildis Reginæ teſtamentum, & Chlodovei junioris chartas tres aut quatuor; reliqua ſive iſtorum, ſive poſteriorum Regum diplomata non omiſſurus, ſi quæ alia in Cœnobii ſui Archivo recondita tunc fuiſſent.

Anno 1625. quo Jacobi Dubleti opus de veteribus Cœnobii Dionyſiani monumentis publici juris eſſe cæpit, ex diplomatibus Regum Merovingorum ab Anonymo ſcriptore recenſitis, vix ſupererant quinque aut ſex, reliquis ævo abſumptis: nec tamen vacua Dubletus ſcrinia deprehendit, aut Tabularium ve-

teribus chartis destitutum. In deperditorum instrumentorum locum alia sensim pullulaverant, & majori numero successerant. Diplomata Merovingica ex Archivo suo eduxit Dubletus viginti novem; è quibus octodecim Dagoberti Regis, reliqua nomen habent Clodovei junioris, aliorumque Principum, qui Regis appellatione contenti regni habenas Magistris Palatii moderandas permiserunt.

Mutata rursum fuerat Archivi Dionysiani forma, cum tu libros *de re diplomatica* adornasti. Edita à Dubleto diplomata Merovingica, si quinque exceperis, omnia tum evanuerant, vel à te judicata sunt indigna quæ inter legitima collocarentur. Verum habuisti unde jacturam illam abunde resarcires. Alia nec nu-

mero pauciora, quæ ſupplerent amiſſa vel à te repudiata, ſubminiſtravit Archivum idem Dionyſianum; ex quo ſolo diplomata Merovingica protuliſti triginta & unum, pleraque ex autographo deſcripta.

Agmen ducit Dagobertinum quoddam pro villa *Iticinoſcoam*, mutilum illud ac ſcriptum in cortice; quodquidem anterioribus temporibus incognitum, viſum tibi eſt per ſe facere fidem ſuæ antiquitatis. Chartam pro immunitate Cœnobii Dionyſiani, quam integram æri inciſam exhibes ſub ipſa autographi forma, Anonymus Monachus, aliique antiqui auctores laudaverant, & Dubletus exſcripſerat, qui & alias quatuor à te productas produxit ipſe, aut ſaltem laudavit. De aliis omnibus al-

tum apud Dubletum Anonymumque Scriptorem silentium.

Igitur ut duobus verbis rem absolvam. Ex diplomatibus Merovingicis (de his enim solis instituta est comparatio) ex illis inquam, quæ anno 1681. in Archivo Dionysiano à te reperta sunt, numerantur omnino viginti sex, quæ illic Dubletus non viderat anno 1625. & totidem fere ex illis quæ ibidem Dubletus anno 1625. deprehendit, antiquioris Dubleto Anonymi scriptoris oculos fugerant.

Atque hæc eo loci non idcirco à me objiciuntur, quod tuam, Dubletive, aut Anonymi Monachi fidem in recensendis Monasterii vestri diplomatibus Merovingicis suspectam habeam. Mihi plane persuasum est singulos bona fide resensuisse diplomata

Dionysiana, quæ suo cuique tempore inciderunt in manus. Sed quo magis perspecta est integritas vestra ac probitas, eo magis suspecta esse debet illorum diligentia, quibus commissa fuit Archivi Dionysiani custodia. Ab edito Dubleti opere ad an. 1681. quo in lucem emisisti tuum, vix anni effluxerant quinquaginta sex: & spatio tam brevi Archivi Dionysiani facies tota fere fuerat immutata. Ex his, quæ ibi Dubletus vidit, diplomata *multa nescio quæ sors aut manus*, cum scribebas, jam tum *interceperat*;* ut ipse fateris. Addere debueras, ut constat ex nova tua diplomatum Dionysianorum Collectione, quod in deperditorum locum multa quoque, nescio qua sorte aut manu, eidem Archivo recèns accesse-

* *De re diplom. lib. 3. cap. 11. n. 5. p. 223.*

rant : atque hoc poſtremum eſſe altero longè deterius. Facile enim quiſque intelligit vetera inſtrumenta atteri ſenſim & perire : ſed eadem ſucceſſione temporum non poſſunt numero augeri & pullulare de novo. Unde ergo advecta ſunt ? ubi reperta ? Id non aperis, nec fortaſſe in tuam cognitionem venit : veniſſet autem, ſi Archivi cuſtodes ſemper munere ſuo diligenter functi fuiſſent.

Duo ſunt tantum, quibus Tabularii Dionyſiani cauſa defendi poſſit. Primum iſtud eſt. Scriptoris Anonymi Dubletique ſilentium, inquies, diplomatibus Dionyſianis nihil quicquam officit. Nam quæ ſilentio prætermiſerunt, non idcirco extare negaverunt. Equidem facile tecum contendam, Vir erudite,

non ſemper valere iſtud argumenti genus, quod ex Auctorum ſilentio deducitur : eoque male uſos quoſdam hujus noſtri ævi Criticos multa à majoribus prudenter tradita temere proſcripſiſſe. Verum & tu concedas neceſſe eſt, argumento iſti aliquando locum eſſe, & maxime, cum præteritur aliquid, quod neque ignorari potuit, ſi extitiſſet ; neque, ſi fuiſſet cognitum, debuit præteriri. Atqui fieri non poteſt, ut diplomata vetera quæ extabant in Archivo Dionyſiano latuerint Dubleto vel Anonymo ſcriptori, à quibus Monaſterii ſui Tabularium ſtudioſe excuſſum eſt. Jam vero oſtendo non debuiſſe ab ipſis præteriri.

Dubletus quidem initio libri tertii, in quo inſtrumenta con-

gerit minimum sexcenta, aperte testatur * instrumenta illa non alium ob finem à se exscripta edi in lucem, quam ut immortalitati commendet illorum munificentiam qui Cœnobium Dionysianum beneficiis ornarunt. Porro postulabat istud consilium, ut quæcumque donationum instrumenta in manus ejus inciderunt, ederet : inciderunt autem quotquot erant in Archivo Dionysiano.

* *Recherc. & Ant. de l'Abbaye de S. Denys, liv. 3. chap. 1.*

Idem habita ratione temporis sentiendum de Anonymo scriptore. Nam quamvis certum sit hoc ipsi propositum fuisse potissimum, ut historiam exstructionis Cœnobii sui describeret, & regiam Dagoberti primi liberalitatem prædicaret : tamen, quia idem & Nandechildis Reginæ & Clodovei secundi

beneficia commemorat, aut saltem indicat, non videtur fuisse silentio plane prætermissurus donationes Theodorici II. Clodovei III. aliorumque è prima stirpe Regum, si illarum donationum acta in Tabulario Monasterii sui nactus fuisset. Quod si postremam hanc conjecturam, ut levem & infirmam rejeceris; istud saltem evincam, enumerasse Anonymum Monachum diplomata omnia Dagobertina, quæ in ejus cognitionem venerant. Atqui venerant quæcumque in Cœnobii sui Tabulario asservabantur. Quare cum nullam mentionem faciat de corticeo ac mutilo diplomate pro villa *Iticinoscoam*, quod æri incisum exhibuisti; cum pleraque taceat, quæ Dagoberto tribuit Dubletus; constat ipsius ætate

nullum istorum extitisse in Archivo Dionysiano.

Opponi potest secundo Dubletum & scriptorem Anonymum viros fuisse simplices, nec veritatis testes satis idoneos. Non equidem ignoro utrumque falsa cum veris improvide congessisse. Tibique ultro assentior, cum * ais esse apud Dubletum diplomata, *tum primæ, tum secundæ stirpis dubia, interpolata, omnino falsa*: nec mirum cum ille * *quodlibet incidit in manus in publicos oculos produxerit*: Verum id fecit * *sine dolo malo*; atque adeo culpari potest ejus prudentia, fides ejus non potest reprehendi. Licet Dubleto diffidere, cum affirmat instrumentum aliquod esse legitimum, quia ipse in eo falli potuit, & habere adulterinum pro legitimo.

* *De re diplom. Lib. 3. cap. 2. n. 5. p. 223.*

* *Ibid.*

* *Ibid.*

mo. Sed injuriam facias *viro bono*, ſi ipſi diffidas, cùm monet ſe ea proferre inſtrumenta, quæ ætate ſua erant in Monaſterii ſui Archivo recondita. Igitur cùm ſecernenda erunt vera à falſis, nullius ſit momenti, per me licet, Dubleti teſtimonium, utpote *viri ſimplicis*, qui omnia ſine delectu congerit. At ejuſdem teſtimonium nullatenus declinari poteſt, cum inquiritur quænam ipſius ætate fuerint in Tabulario Dionyſiano inſtrumenta; quia in ea re cujus erat teſtis oculatus, nec ipſe falli potuit; nec, quia erat vir bonus, cenſendus eſt fallere voluiſſe.

Eodem ferme modo definio, quatenus credendum ſit Anonymo ſcriptori. Quoties portenta commemorat & viſa, ut commendet illos, qui pretioſo

aliquo donario Baſilicam ſuam exornarunt, vix eſſe audiendum reor. Neque enim ea narrat, quorum ipſe teſtis fuerit, aut quæ ab idoneis teſtibus acceperit : ſed vel ſparſos in vulgus rumores colligit imprudens, vel deſcribit veterem chartam, quam dicebant eſſe Audoëni, & quam Audoëno minime tribuendam fabulæ, quibus referta eſt, apertiſſimè convincunt. Verum quando idem Scriptor citat Præcepta Regum, quæ in Monaſterii ſui Tabulario viderat, quando illa enumerat & exſcribit, plenam ipſi fidem habendam eſſe contendo : ea enim exhibet nobis, quæ tractabat manu, quæ oculis percipiebat.

Quod ſi quis ultra quærat, utrum Diplomata quæ laudavit, habenda ſint pro legitimis & in-

dubitatis: unum eſt quod reſpondeam, mihi multominus eſſe ſuſpecta, quam quæ ſubſequentibus ſæculis ex eodem Archivo prodierunt; neque tamen omnino certa videri. Certa eſſent, ſi quemadmodum viſum eſt Andreæ du Cheſne, Monachus Anonymus fuiſſet æqualis temporum Dagoberti primi. Sed cum id pronunciavit vir eruditus, Libelli contextum non ſatis accurate excuſſerat. Manifeſtum eſt enim Auctorem multo poſteriorem eſſe Dagoberto; atque hoc pluribus argumentis demonſtratur.

1. Deſcribens ille bellicum quoddam facinus Clotarii ſecundi, qui erat Dagoberti pater, exclamat in hæc verba: * *tanta tum Francorum potentia, tanta Regum animoſitas erat.* Idem

* *Geſta Dagob. 1. cap. 1.*

cum dixisset Sadregisilum Ducem à Dagoberto *barbæ* * *rasione fuisse deturpatum*, statim subjungit, *eam tum præcipuam fuisse injuriam*. Quibus verbis insinuat, jam cùm hæc scriberet, obsolevisse mores, qui Clotario secundo & Dagoberto primo regnantibus viguerant.

* Gesta Dag. 1. cap. 6.

2. Laudato Dagoberti Regis Præcepto, quo villa nomine *Braunadus* ad cætera Dionysiana prædia accessit, ait scriptor Anonymus, * *testamentum illud usque hodie in Archivo Ecclesiæ Beatorum Dionysii ac sociorum ejus venerabiliter custodiri*. Simili loquendi formula usus est, ubi inter Præsules illos, qui Clodovei secundi Præcepto ad confirmandam Cœnobii Dionysiani immunitatem dato subscripserunt, docet *, *extitisse nonnullos, quos ho-*

* Ibid. cap. 40.

* Ibid. cap. 51.

die sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eo quod ad eorum venerabilia sepulchra virtutes non modicas usque in præsens Dominus operetur. Atqui nonnisi de iis quæ veteri memoria facta sunt, observare solemus, quod perseverant *usque hodie, usque in præsens.* Anonymus ergo Scriptor non est coætaneus.

3. Hoc ipsum præterea probat instituta ab eo Eligium inter & Aurifices sui temporis comparatio. Hos enim * *moderniores* vocat, addens præclaram illam, quam Eligius callebat, artem includendi gemmas auro *de usu recessisse.* Quæ verba arguunt, satis longi temporis spatium ab obitu Eligii, qui regnantibus Dagoberto primo atque filiis ejus floruit, ad sua usque tempora effluxisse.

* Ibid. cap. 20.

4. Denique Scriptorem Anonymum longe post Regum istorum tempora vixisse, demonstrant vel illa sola verba: *narraba,* * inquit, *quod in quadam vetustissima repperi charta, quam, ut ferebatur, beatus Audoënus Episcopus scripserat.* Cum enim Audoënus diu post obitum Clodovei secundi superfuerit, non potuit charta, quæ ipsius manu, ferebatur exarata, ab Anonymo Scriptore *vetustissima* appellari, quin Scriptor ille Dagoberto primo & Clodoveo secundo fuerit multo posterior. Quonam autem tempore scripserit, vix definiri potest. Sed quanquam Monachus ille Dionysianus incerti est temporis, non est propterea incertæ fidei, cum recenset diplomata, quæ ætate sua Monasterii sui Archivum continebat.

* *Ibid. c.* 43

PARS SECUNDA.

Expenduntur sigillatim & impugnantur exhibita in Libris de re diplomatica indubitatorum Autographorum specimina.

SPECIMINA quæ in quinto & sexto libro exhibuisti, Vir erudite, omnia sigillatim expendere difficile esset & longioris operæ. Pauca de multis examino, ex quibus judicium feratur de reliquis. Ne tamen existima, conquisivisse me sedulò & consultò selegisse, si quæ forte in tanto numero minus firma fuerint & certa. Hæc ipsa potissimum perpendere placuit, quæ tu omnium certissima judicas, quæ incidi in æs curasti, ut essent indubitatorum Autographorum

ſpecimina. Atque iſta ſpecimina cùm plura ſint, quam ut in ſingula poſſit inquiri; quæ prima, tam ex Merovingicis, quam ex Carolinis, digeſtæ in quinto operis tui Libro tabulæ offerebant, illa ipſa eodem examinata ſunt ordine, quo fuerant à te repræſentata.

Caput Primum.

De primo Autographorum indubitatorum ſpecimine.

EX variis Dagoberti primi chartis quæ in Archivo Dionyſiano aſſervantur, unicam * exhibes, quæ agit de villa * *Iticinoſcoam* : illamque mutilam, & crebras habentem lacunas, vetuſtatis ſuæ inſignia : exaratam in papyro Ægyptiaca, bar-

* *De re diplomat. lib. 5. p. 374. lib. 6. p. 465*
* *Eſcouen.*

baro quodam ſ[illegible]turæ genere : Regis ipſius [illegible]adonis Referendarii ſubſcriptionibus firmatam : deſtitutam quidem ſigillo, ſed veſtigia retinentem ſigilli, quo olim conſignata fuerat. Uno verbo chartam hanc, præ cæteris Dagobertinis, idoneam exiſtimaſti, quæ Autographi indubitati ſpecimen eſſet ac exemplum. Ignoſces, ſi tibi hac in re diſſenſero.

Cùm Autographum illud indubitatum eſſe affirmes, tuum eſſet demonſtrare, quod reipſa tale ſit. Id ſi facere recuſas ; peto, ut ſaltem liceat ſine tua offenſione argumenta proferre, propter quæ charta iſta mihi ſuſpecta ſit falſi.

Suſpicionis meæ prima ratio eſt, ſilentium Dubleti, & Anonymi Monachi Dionyſiani.

Uterque, ut jam ostendi, in exquirendis Dagobertinis diplomatibus curiosus, tabularia Dionysiana diligenter excusserat. Neuter tamen commemoravit Præceptum Dagoberti, de villa *Iticinoscoam*. Si istorum ætate extitisset tam illustre diploma in Archivo Dionysiano, cur ab his fuisset præteritum, qui multo leviora recensent? Si Archivo restitutum est post mortem Dubleti, unde prodiit? unde advectum est?

Quia Eusebius & Hieronymus septem tantum Ignatii Martyris epistolas appellavere, reliquæ tanquam adulterinæ rejiciuntur. Si quod sub Augustini nomine opus editum est, de quo nullam mentionem vel ipse in libris Retractationum, vel Possidius in Indice suo fecerit; illi-

co opus illud dubium eſt, & doctis hominibus ſuſpectum. Item ſi quæ Iſidoro Hiſpalenſi tribuuntur tractationes, quas Hildephonſus in catalogo ſuo non fuerit complexus, dubiis vel etiam ſpuriis annumerantur. Quæ doctorum hominum judicia ſane non reſpues eruditus ipſe; neque profectò refragaberis, certiſſimam falſitatis notam, aut ſaltem cauſam ſuſpicionis ex veterum Scriptorum ſilentio toties recte deduci, quoties conſtat rem, de qua tacuerunt, eſſe hujuſmodi, ut nec ignorari potuerit, ſi extitiſſet; neque debuerit omitti, ſi fuiſſet cognita. Hæc porrò regula ſi valet, ubi de veteribus ſcriptis agitur: cur non habeat locum in re diplomatica? Si autem in re diplomatica recipitur, poteſt-ne

tanquam indubitatum prædicari Præceptum Dagoberti pro villa *Iticinoscoam*, quod prætermissum est, ab iis qui recensuissent; si affuisset ad manus, & ad manus habuissent, si extitisset.

Altera suspicionis ratio. Diploma istud Dagoberti, quod tibi videtur autographum indubitatum, per omnia simile est alteri Clodovei junioris diplomati, quod tu æri incisum tertio loco repræsentasti. Par utrobique forma: idem utrobique scripturæ genus, eadem barbaries: utrumque in cortice vel in papyro Ægyptiaca exaratum: utrumque Wandelbertho Duci inscriptum: utrumque mutilum: utrumque Dubleto pariter & Anonymo Scriptori incognitum: denique non est ovum ovo similius, quam diploma di-

plomati

plomati. Atqui tamen diploma hoc Clodovei junioris falſum eſt, ut capite tertio ſum demonſtraturus. Igitur diploma Dagoberti pro villa *Iticinoſcoam* eſt ſimillimum falſo. Quod autem eſt ſimillimum falſo, nec poteſt ab eo ulla nota ſecerni, non debet inter indubitata autographa numerari.

Tertia ratio petitur ex ipſo Dagoberti nomine, quod in illa charta bis occurrit, in principio & in fine, utrobique ſcriptum hoc modo *Dagoberčthus* cum *c.* & *h.* Atqui ſine his duobus elementis, quæ abundant, idem nomen ſcriptum legitur, tum in pleriſque monetis, tum in illa ipſa, quam æri inciſam ſimul cum Dagoberti Diplomate exhibuiſti. Non diſſimulabo tamen aliquas eſſe in quibus *Dago-*

berthus cum *h*. ſcribitur. Sed nullam repperi, quæ *Dagoberčthum* cum *c.* & *h.* habeat. Quod ſi reipſa nulla ſit, non vereor dicere, vel hoc unum in ſubſcriptione Regia vitium orthographiæ toti Diplomati inurere notam, aut ſaltem ſuſpicionem falſitatis. Neque enim facile crediderim Regium nomen alio modo ab ipſo Rege, Dadone Referendario & Notariis Regiis, alio ab Eligio & Monetariis ſcriptum fuiſſe.

His aliiſque rationibus deterritus, aſſeveranti tibi Diploma Dagoberti eſſe indubitatum autographum non auſus ſum aſſentiri. Aſſentiar autem lubentiſſime, ſi ipſius veritatem certis & indubitatis argumentis aſtruxeris.

CAPUT II.

De ſecundo Autographorum indubitatorum ſpecimine.

HOc diploma Dionyſianum pluris cæteris à te æſtimatum, vel ex eo patet, quod cætera quidem aut exſcripta ſolummodo, aut ex aliqua tantum ſui parte inſculpta repræſentare; hoc vero integrum æri inciſum & ſub ipſa Autographi forma exhibere * ſtatueris. Et vero fatendum eſt inter eas, quas protuliſti, veteres chartas nullam eſſe, quæ vetuſti diplomatis & Autographi imaginem, qualem in Libris de re diplomatica deſcripſiſti, perfectius referat. Scripta eſt enim in cortice; litteris Merovingicis, ut vocas; ortho-

* *De re diplomat. lib. 5. p. 377. lib. 6. p. 466.*

graphia pessima; sermone plane barbaro. Detracti sigilli defectum abunde pensant subscriptiones, tum Beroaldi Referendarii, tum maxime Clodovei Regis Neustriæ & Burgundiæ, atque Sigiberti Austrasiæ Regis, & aliorum quadraginta quinque tam Procerum, quam Præsulum & Clericorum. Quid plura? Nullum aliud Autographum isto certius tibi visum est; atque adeo, ni verum sit & indubitatum, cætera omnia falsa esse, aut saltem suspecta necesse est.

Cum ergo in hoc uno Diplomate, reliquorum veterum autographorum fortuna agatur, patere, ut illud attentius inspiciamus, & ad severiorem truticinam revocemus. Unum tamen te rogo, ne existimes me quæ-

ſtionem movere ſuper illa Clodovei charta, ut vocem in controverſiam privilegium & immunitatem Monaſterii Dionyſiani. Non nego huic conceſſam eſſe libertatem à Landerico Pariſienſi Epiſcopo, iſtudque Privilegium autoritate Clodovei ſecundi anno regni ejus decimo ſexto fuiſſe Clipiaci confirmatum. Hoc antiqui Autores * diſertè docent. Sed contendo Dionyſianum Diploma, quod confirmationem illam continet & integrum æri incidi curaſti, non eſſe ipſum Autographum.

Aimoin. lib. 4. cap. 41. Geſta Dagob. c. 51.

1. Id probat Clodovei ac Sigeberti Regum ſubſcriptio. Clodoveus manu propria nomen ſuum appoſuit hoc modo, CLODOVIUS REX SUB.. ita tamen ut in ipſa ſubſcriptione inter duo verba hæc, CLODOVIUS REX,

insertum sit aliud signum in morem Monogrammatis, cujus forma hæc est. In parte superiori leguntur distinctè tres illæ litteræ, Sig. In inferiori habetur hæc vocula, Rex. Monogrammatis quasi centrum tenet littera S, unica. Atque hoc totum sic interpretaris Sigebertus Rex subscripsi.

Interpretationem hanc tuam nonnisi conjecturæ loco esse vis, cum tamen manifestum sit, vel nullam subscriptionem laudato Monogrammate contineri, vel illam esse Sigeberti Regis. Quis enim præter Sigebertum Regem audeat coram Clodoveo nomen sibi Regium usurpare, & subscriptionem suam subscriptioni Regiæ inserere? Aut quem alterum sensum habere possint hæ Monogrammatis litteræ, Sig.

Rex. S. Igitur si insertum Regis Clodovei subscriptioni Monogramma subscriptio alicujus dici debet, non alterius est certe, quàm *Sigeberti* Austrasiæ Regis fratris Clodovei natu majoris.

At istud ipsum totam chartam suspectam reddit. Omitto quod iste subscribendi modus, in quo subscriptio subscriptioni inseritur, sit omnino insolens & sine exemplo. Verum oppono primò silentium Aimoini, & Anonymi scriptoris Gestorum Dagoberti primi. Meminerunt * uterque Magnatum, qui interfuerunt conventui Clipiacensi, & concessæ Cœnobio Dionysiano immunitati subscriptione sua suffragati sunt. Ex his appellant nominatim quosdam Episcopos, quos vitæ sanctitas commendabat: de Sigeberto

* *Aimoin. lib. 4. cap. 41. Gesta Dagob. cap. 51.*

Auſtraſiæ Rege, quem primum appellare debuiſſent, ſi affuiſſet, omnino tacent.

Oppono præterea autoritatem Hiſtoricorum fere omnium, qui tradunt Sigebertum prius è vivis exceſſiſſe, quàm conventus Clipiacenſis celebraretur. Celebratum enim à Clodoveo omnes conſentiunt anno regni ſui decimo ſexto. Atqui aliquot ante annis Sigebertum obiiſſe manifeſtè docent Aimoinus* qui ſub Ludovico Pio Imperatore vixit, & ante illum incertus Auctor* qui Theodorico Calenſi regnante geſta Regum Francorum deſcripſit, aliique *paſſim.

** Lib. 4. cap. 42.*

** Cap. 43.*

** Notgerus Leod. Epiſc. in vita S. Remacli. Item vita Sigeberti collecta ex antiquis ſcriptoribus.*

Qui Scriptores cum vicini fuerint temporum Sigeberti & Clodovei, non eſt cur illorum teſtimonio anteponatur doctiſſimi

Henſchenii conjectura, Sigebertum Clodoveo fratri fuiſſe ſuperſtitem idcirco ſuſpicantis, quod Childericus non ſtatim poſt Clodovei parentis mortem Auſtraſiæ regno fuerit potitus. Quaſi vero hujus rei non aliæ poſſint aſſignari cauſæ. Nam verbi gratia, quidni quemadmodum Clotarius ſecundus Dagoberti pater, & parente mortuo ipſe Dagobertus, ita etiam Clotarius tertius Dagoberti nepos, Auſtraſiam cum reliqua Francia ſolus aliquandiu tenuerit; & poſtea Childericum fratrem Auſtraſiis petentibus Regem conceſſerit?

2. Exhibitam à te Clodovei chartam non eſſe ipſum Autographum Præcepti, quo Cœnobii Dionyſiani libertas in conventu Clipiacenſi confirmata

eſt, rurſum ex eo demonſtrari poteſt; quod inter viros illuſtres, quorum charta nomen & ſignum habet, primus occurrat *Radoberto Major-domus*: cum tamen certum ſit nullum hoc nomine ſub Clodoveo ſecundo *Majorem-domus* fuiſſe. Neque enim obſcurum eſt quinam regnante Clodoveo præfecturam palatii geſſerint. Dignitatem hanc in Auſtria Pipinus, & poſt Pipinum Grimoaldus adeptus eſt. In Burgundia Ægano ſucceſſit Flaocatus. In Neuſtria vero, ad quam Clipiacum pertinebat, poſt eundem Æganum (is enim Neuſtriæ & Burgundiæ præfuit) palatii præfecturam obtinuit Erchinoaldus, qui aut vivente adhuc Dagoberto, ut habent * Geſta Regum Francorum, aut ſaltem anno poſt Dagoberti obi-

* *Cap. 42.*

tum tertio, ut Fredegarius * in Chronico, * Aimoinus, aliique ſcribunt, hunc honoris gradum adiit: retinuiſſe autem uſque ad mortem Clodovei Scriptores omnes * unanimi conſenſu tradunt. Quare manifeſte falſi convincitur charta, in qua legitur hæc ſubſcriptio data anno Clodovei ſecundi decimo ſexto: *ſignum viri inluſt. Radoberto maj. dom*; atque adeo illa dici non poteſt genuinum Clodoveani Diplomatis Autographum.

* *Cap.* 84.
* *Lib.* 4. *cap.* 37.
* *Vide Caput* 4. *hujus ſecundæ partis.*

3. Idem probari poteſt comparatione facta ejuſdem Præcepti, prout apud te legitur, cum exemplari, quod olim Anonymus Dionyſianus Monachus exſcripſerat. Hujus initium apud Anonymum Scriptorem ſic habetur.* *Oportet nos ſedule ſecundum paternam inſtitutionem locis*

* *Cap.* 51.

venerabilibus sanctorum reverentiam exhibere, ut eos in die necessitatis patronos & defensores contra invisibiles hostes possimus habere. Ideoque ..... Contra vero in Libris *de re diplomatica** prima Præcepti verba hæc sunt. *Oportit clementiæ princepali inter cæteras petitiones, illud quæ pro salute ascribetur, vel pro timore divini nomenis postolatur placabili audito suscipere, & ad effectum perducere, ut fiat in mercide conjunctio, dum pro quiete servorum Dei vel congruentia locis venerabilebus impertitur petitio. Igitur.....*

* *Lib. 6. pag. 466.*

Præterea in fine ejusdem Præcepti, prout ab Anonymo Monacho recitatur, institutus *in Monasterio S. Martini Turonis psallentium ordo* laudatur : nec tamen apud te Monasterii S. Martini Turonensis ulla mentio. Quid dicam

dicam de sanctissimis Præsulibus Audoëno, Auberto, Castadio, aliisque quos * Aimoinus & scriptor * Anonymus Præcepto Clodovei subscripsisse aiunt; quorum tamen nomina non reperiuntur in charta, quam profers?

* *Lib. 4. cap. 41.*
* *Cap. 51.*

Cætera omitto, in quibus est diversitas. Pauca hæc satis superque ostendunt aliam à te, aliam ab Anonymo Scriptore exscriptam esse chartam. Utra genuina est? utra spuria? Vereor ne illam quæ anterioribus sæculis in Archivo Dionysiano asservabatur, alteri quæ ex eodem Archivo hac ætate nostrâ diversa prodiit, hoc est antiquiorem recentiori, anteponendam plerique censeant. Aut si antiquiorem quoque reprobabunt, quod in ea Sulpitius Bituricensis Præ-

ſul ſanctiſſimis Antiſtibus annumeretur, qui conventui Clipiacenſi adfuerunt : non dubito quin ſimul illi contendant, tuam quoque haberi jam non poſſe pro Autographo indubitato. Neque enim nono ſæculo, circa quod ſcripſiſſe creditur Anonymus Monachus, adulterinum Diplomatis exemplar habuiſſent ſcrinia Dionyſiana, niſi genuinum autographum jam tum periiſſet. Quod autem ante octingentos annos perierat Autographum, vix intelligitur quonam ſingulari fortunæ beneficio potuerit tandem idipſum hac noſtra ætate reperiri.

Caput III.

De tertio Autographorum diplomatum specimine.

Inter illa veterum Autographorum ſpecimina, quæ libro quinto profers æri inciſa, tertium eſt * mutilum Clodovei ſecundi diploma, in quo agitur de villa Cotiraco in pago Camiliacenſi ſita, quam Dionyſiano Cœnobio Dagobertus dederat. Specimen hoc ſimillimum eſt primo, ſtylo eodem, eadem forma, pariter ſcriptum in cortice, & magna ex parte exeſum. Unde dictum eſt ſuperius * eandem utriuſque eſſe fortunam, idem de utroque ferri debere judicium.

* *De re diplomatica Lib. 5. pag. 377. & 378.*

* *Part. 2. cap. 1. pag. 120.*

Ac primo quidem nulla hujus diplomatis apud Dubletum,

nulla villæ Cotiraci apud Anonymum Scriptorem extat memoria: quamvis ille edenda curaverit in lucem Dionysiana diplomata omnia, hic totus sit in enarrandis vel etiam minimis Dagoberti erga Cœnobium Dionysianum beneficiis, & summa ejus liberalitate prædicandâ. Verum aliud est argumentum longè certius, quo hujus chartæ falsitas ostendi possit.

In fine chartæ leguntur hæc verba, *propria subscriptione inserere non possumus nos & præcelsa genitrix nostra.* Quibus verbis indicatur, ut ipse * agnoscis, idcirco chartam neque Clodovei, neque Nandechildis ejus genitricis manu esse obsignatam, quod neuter tunc esset scribendi peritus. Verum duo sunt quæ hîc opponam. Primum, certum esse

* *De re diplomat. lib. 5. pag. 376. & 378.*

Clodoveum Regem & Nandechildem ejus genitricem fuiſſe ſcribendi peritos, & potuiſſe utrumque propria manu integrum nomen ſubſcribere. Alterum, etiam ſi id minime potuiſſent, non debuiſſe tamen in diplomate iſtud enuntiari. Quæ duo ſi effecero, rejicies, puto, ut ſpurium diploma, quod inter Autographa indubitata numeraveras.

Ad primum quod attinet, facile conceſſurum te exiſtimo, Clodovei junioris chartam, de qua agitur, quamvis nullam habeat temporis notam, utpote quæ mutila ſit, tamen non poſſe fingi ſcriptam ante annum primum Clodovei. Atqui certum eſt Clodoveum primo regni ſui anno, & Nandechildem ejus parentem fuiſſe ſcribendi peritos.

Imo certum est Clodoveum ante patris obitum propria manu nomen subscribere potuisse. Utrumque sic probatur.

Qui vitam S. Baboleni Abbatis Fossatensis scripsit Auctor Anonymus, laudat *Privilegium* Monasterio Fossatensi à Clodoveo secundo concessum * *primo regni sui anno. Quod Privilegium regiæ dignitatis*, addit idem Auctor, *in eadem conservatur Ecclesia usque ad præsens illæsum.* Idem Privilegium, seu potius Præceptum integrum exscripsit * Cointius ex Breulio. In Præcepti autem fine ipse Clodoveus inducitur loquens hoc modo. *Ut hæc præceptio nostræ cessionis firmior habeatur, vel per futura sæcula Deo propitio inviolabilis servetur, nos & præcelsa genitrix nostra Nandechildis manuum nostrarum signa-*

* *Vita S. Baboleni apud Cointium tom. 3. pag. 75.*

* *An. Eccl. Franc. tom. 3. pag. 82.*

culis adumbravimus. Data anno primo regni nostri. Ergo & Clodoveus junior primò regni sui anno, & genitrix Clodovei Nandechildis Regina, poterant manu propria chartis subscribere.

Id poterat Clodoveus etiam ante obitum patris. Hoc ipsum testatum habemus in gestis * Dagoberti Regis. Quippe cum Dagobertus morti proximus novis aliquot prædiis Dionysianam Basilicam ditare vellet; nec paratum ea de re Præceptum posset ipse propria manu subscribere, vocatis Filio & Optimatibus sic locutus est: *Nos vero præsens Præceptum jam non valemus subscribere, quia invalescente ægritudine calamus in manu nostra trepidat. Et propterea rogamus dulcissimum Filium nostrum Hludovium*

* Cap. 42.

Regem, ut per signaculum sui nominis istam chartam affirmet, & Dado eam offerat, & Optimates illam subscribant. Cumque Rex hic loquendi finem fecisset, subsumit Auctor, FILIUS EJUS REX HLUDOVIUS IPSUM PRÆCEPTUM SECUNDUM JUSSIONEM PATRIS OFFERENTE DADONE REFERENDARIO SUBSCRIPSIT, *omnesque Proceres qui in præsenti aderant, propriis eundem subscriptionibus firmaverunt.* Hactenus Monachus Dionysianus in Gestis Dagoberti Regis. Quem quidem Scriptorem, cum hæc referret, ipsum Dagoberti Præceptum habuisse ad manus non dubitamus.

Præceptum idem Dagoberti cum subscriptione Clodovei & aliquorum Procerum exscripsit * Dubletus, ex autographo genuino, an ex aliquo vitiato e-

* *Antiq. & Recher. de l'Abb. de S. Denis, p. 676.*

xemplari, non eſt hujus loci definire. Ut ut eſt, ex his quæ ab AnonymoMonacho relata ſunt, patet, Clodoveum etiam ante obitum patris nomen ſuum ſcribere potuiſſe.

Id ipſum potuiſſe Clodoveum ſecundum, cum Dagobertus ipſius parens anno regni ſui decimo quarto primum ſuum Teſtamentum condidit, teſtatur Aimoinus; * cum ait voluiſſe Dagobertum, ut illud Teſtamentum *manibus ſubter firmaretur non tantum ſuis, ſed etiam filiorum ſuorum Sigeberti ac Hludovici.* Qua quidem in re deceptum eſſe Aimoinum, qui ipſum Teſtamentum viderat, magnamque ejus partem recitat, non facilè crediderim.

* *De Geſtis Franc. lib. 4. cap. 38. p. 176.*

Sit ergo deinceps poſitum extra controverſiam, & Nande-

childen Reginam fuisse scribendi peritam, & Clodoveum ejus filium nomen suum manu propria appingere potuisse, non tantum primo regni anno, sed etiam ante obitum patris. Hoc autem si exploratum sit, quo in loco ponenda charta, in qua uterque palam profitentur, *propriam subscriptionem se inserere non potuisse?*

Addo (hoc enim alterum proposueram) etiam si neuter fuisset scribendi peritus, eos tamen non debuisse istud palam profiteri. Quid enim necesse erat Reges excusare ignorantiam suam, ubi ipsorum subscriptio non requirebatur? Quippe tam Præcepta, quam Placita Regum, pariter valuisse, sive his Reges subscripsissent, sive non, ipse fatearis oportet. Produxisti enim in Libro sexto, vel ex solis Merovingicis

chartis, Præcepta aut Placita omnino tredecim, * quæ exſcripta teſtaris ex Autographo, quanquam nec Regum habent ſubſcriptionem, nec ullam ſuper ea re excuſationem. Quare vel illa tredecim Autographa nullam fidem faciunt, quod profectò nunquam concedes, vel diplomata faciunt fidem, etiam ſi nulla ſit in eis Regum ſubſcriptio, nec reddatur ratio, cur nulla ſit.

* *De re diplomat. lib. 6. diplom. 11. 12. 13. 16. 17. 19. 21. 24. 25. 27. 28. 31. 32.*

Igitur, quiſquis ille eſt, qui Clodovei diploma, de quo agimus, fabricavit, bis peccaſſe convincitur: ſemel contra veritatem, cum falſo affirmavit Clodoveum Regem & Nandechildem ejus matrem nomen ſuum præ imperitia ſcribere non potuiſſe: iterum contra ſtilum & formulas diplomatum, cum pu-

tavit, hoc ipsum in contextu diplomatis esse significandum.

Caput IV.

De quarto specimine Autographorum indubitatorum.

** De re diplomat. lib. 5. pag. 377. & 378.*

CHARTA * ista, quantum ex his, quæ restant, fragmentis potest intelligi, Placitum est Clodovei secundi exortam super medietate cujusdam villæ Cœnobio Dionysiano attributæ litem dirimentis. Litem hanc fuisse ais inter S. Audoënum Rotomagensem Antistitem & Leudesium Majorem-domus. Audoënum, cùm lis illa judicata est, præfuisse Rotomagensi Ecclesiæ, ipsa chartæ verba declarant. Leudesium jam tum fuisse Majorem-domus, tu videris affirmare, sed charta non exprimit.

primit. Si exprimeret, vel ex hoc uno capite manifeſtè convinceretur falſi. Conſenſu enim Scriptorum omnium unanimi conſtat Leudeſium regnante Clodoveo ſecundo non fuiſſe Majorem-domûs : imo eorumdem teſtimonio eſt fere certum, nonniſi poſt mortem Clotarii III. qui Clodovei filius fuit & ſucceſſor, Leudeſium ad illam dignitatem perveniſſe. Verum quia, ut jam monui, non in ipſo Clodovei Placito, ſed tantum in notis tuis Leudeſius Major-domûs appellatur, Placiti veritatem ex hoc capite non impugnabo. Efficacius argumentum Placiti quamvis ſemilaceri contextus ſubminiſtrat.

In illo expreſſis verbis dicitur, Leudeſii Patrem *Erchinoaldum quondam fuiſſe Majorem-*

domus. Quod idem est ac si diceretur Erchinoaldum, cum lis illa mota est jam non fuisse Majorem-domûs, sive jam obiisset, sive alio modo sua dignitate excidisset. Atqui tamen, si qua Historicis coævis, aut ferè coævis fides est, Erchinoaldus domus Regiæ, seu Palatii Præfecturam ad mortem usque retinuit; nec mortem, nisi defuncto ipso Clodoveo, oppetiit. Hoc jam secundo capite dictum à nobis, nunc tandem firmissimis argumentis est stabiliendum.

Fredegarius qui horum temporum ferme æqualis fuit, post relatam in Chronico suo Clodovei secundi mortem sic loquitur. * *Franci Clotarium filium ejus majorem in regno statuunt, cum præfata Regina matre (Baldechilde.)* statimque subjungit, *eo-*

* Cap. 92.

dem tempore mortuum eſſe Erchenualdum (ſive Erchinoaldum) *Majorem-domus Palatii.* Quo narrandi ordine Erchinoaldum Clodoveo, non diu quidem, ſed tamen aliquot menſibus, aut ſaltem diebus ſuperſtitem fuiſſe indicat. Quanquam nihil mea intereſt, Erchinoaldus poſt Clodoveum in vivis, nec-ne, fuerit: ſatis eſt, ſi uterque eodem tempore, quod apertè teſtatur Fredegarius, vivere deſierit.

Anonymus Auctor qui Regum Francorum Geſta ſcripſit ſub Theodorico Calenſi dicto, hoc eſt ſexaginta circiter annis poſt Clodovei ſecundi mortem, is inquam Auctor Fredegario ſuffragatur his verbis: * *Decedente Rege Clodoveo, qui regnavit annos ſexdecim, Franci Clotarium ſeniorem puerum ex tribus ſibi ſtatue-*

* *Cap. 44. & 45.*

runt, cum ipsa Regina matre regnaturum. Eo tempore defuncto Erchenoaldo Majore-domûs, Franci in incertum vacillantes Ebroinum Majorem-domo in Aula Regni statuunt. Ecce iterum Clodovei mors primo loco, deinde Erchinoaldi obitus notatur; cum tamen uterque eodem tempore, hoc est anno, dicatur defunctus.

Autorem Anonymum Aimoinus libro quarto *de gestis Francorum*, exscribit, * ut solet, verbo ad verbum, paucis tantum adjectis: testimoniumque illius suo ipse testimonio confirmat.

* *Cap. 43. & 44.*

Scriptor ille qui circa annum Christi 851. Chronica Regum Francorum breviter digessit, * expresse ait *Ebroinum* quem Erchinoaldo proxime successisse Fredegarius aliique à me ci-

* *Andr. du Chesne, tom. 1. p. 797.*

tati palam affirmant, non Clodovei ſed *Clotarii ipſius filii temporibus Majorem-domûs à Francis effectum eſſe.*

Scriptor ille incertus, ſed antiquus * cujus eſt fragmentum hiſtoricum à Dagoberto primo uſque ad Pipinum Regem, rem noſtram omnium apertiſſimè declarat : aitque *Erchinoaldo defuncto Clotarium, qui tunc regnabat* (ſunt ipſa Scriptoris verba) *Ebroinum Majorem-domûs conſtituiſſe.*

* *Ibid. p.* 782.

Regnabat ergo Clotarius tertius Clodovei ſecundi filius natu maximus, cum Erchinoaldus Regii Palatii Præfectus exceſſit è vita. Hoc Auctor à me modo laudatus, nullo Scriptore diſſentiente, pleriſque palam aſſentientibus, expreſſè docet. Atque ita falſi convincitur charta, in

qua Clodoveus Clotarii pater, Erchinoaldum, qui palatii Præfecturam non exuit ante mortem, dicit fuisse QUONDAM *Majorem-domûs*, hoc est jamdudum diem supremum obiisse.

CAPUT V.

De quinto Autographorum indubitatorum specimine.

De re diplomat. lib. 5. p. 379. lib. 6. pag. 408.

SPECIMEN * istud non est diploma regium, sed charta cujusdam matronæ nomine Chrotildis: quam chartam retulisti inter regias, *propterea quod à fœmina nobili profecta,* ut ais, * *regio charactere scripta sit:* sed maxime *quod contineat insignem Epocham Clotarii tertii*, cujus regnum ad annum usque decimum sextum perducit. Verum

De re diplomat. lib. 5. p. 378. in notis ad tabellam. 19.

hæc ipsa epocha quam prædicas, in causa est, cur ego chartam à te minime laudatam vellem. Clotarii enim tertii regnum ad annum decimum sextum protrahi non potest, à te præsertim, qui Chronologiam ex antiquis diplomatibus emendandam esse contendis.

Et vero Clotarium tertium imperasse Francis annis sexdecim nullus Historicus affirmat, plerique veteres apertè negant: hoc autem temere ac falso ab ipsis negari, etsi quis jure contenderet, quod absit ut concedam, id tamen tu nequaquam potes. Singula ordine discutiamus. Ac primo veterum testimonia hæc sunt.

1. Frèdegarius vicinus sane temporum Clotarii tertii in Chronico * sic habet: *Hisce die-*

* *Cap. 93.*

bus Clotarius Rex à valida febre correptus obiit in juventute, regnavitque annis QUATUOR.

2. Fredegario consentit Scriptor Anonymus *Gestorum Regum Francorum*, æqualis temporum Theodorici Calensis, & ita loquitur : * *In his diebus Clotarius Rex puer obiit, regnavitque annis quatuor.*

* *Cap. 45.*

3. Anonymi Scriptoris verba exscripsit, & calculo suo firmavit * Aimoinus, qui florebat nono sæculo.

* *Lib. 4. cap. 44.*

4. In fragmento Erchamberti, quod scriptum videtur sub Carolo Martello Principe,* *Clotarius Rex filius Clodovei* dicitur *adhuc in puerili ætate suæ juventutis esse mortuus, regnasseque annis quatuor.*

* *Andr. du Chesne, tom. 1. p. 780.*

5. Digesta breviter, regnantibus Lothario, Ludovico, & Ca-

rolo Ludovici Pii filiis *Chronica Regum Francorum* similiter confirmant, * *Clotarium post quatuor annos esse defunctum.* * Ibid. p. 797.

6. His suffragatur Auctor vitæ S. Baboleni Abbatis, cum sic loquitur : *Clotarius Rex cum parvo tempore strenuè gubernasset regnum, immatura præventus morte, Theodorico fratri quinto anno dimisit principatum.*

Porro sex illi Scriptores quorum tres sunt ferè coætanei, uno ore docent, ac sine ulla ambiguitate, Clotarium in puerili ætate decessisse, nec nisi annis quatuor sceptro esse potitum. Non dissimulabo alios esse Scriptores, qui Clotario tertio plures annos tribuunt. Sed isti nec tot sunt, nec tantæ auctoritatis, nec inter se concordes. Quotquot vidi, enumerabo fideliter.

7. Igitur legimus in Libello de vita S. Berthilæ Abbatissæ Calensis *Clotarium adultum fuisse, cum mortuus est.* Sed cum ibidem non exprimatur numerus annorum, quibus Clotarius regnavit, vix locus iste potest testimoniis supra relatis opponi.

** Andr. du Chesne tom. 1. pag. 794.*

8. Edita est * ex veteri ms. codice Bibliothecæ serenissimi Britanniarum Regis Genealogia Regum Francorum, à Meroveo ad Pipinum Regem perducta: quæ Genealogia habet *Clotarium* (tertium) *regnum paternum septem annis obtinuisse.* Verum ista cum his quæ superius recitata sunt, non inepte quis fortasse conciliaverit, si dicat Clotarii filii sui nomine administratum fuisse à Baldechilde Regina regnum duobus annis, quibus Clodoveum amentem vixisse

ſcribunt Hiſtorici. Si enim his duobus annis addas quatuor completos, quibus Clotarius poſt mortem parentis regnavit, dici poterit ſeptimum regni annum attigiſſe. Quod ſi minus arridet conjectura hæc noſtra, iſtud tamen certum manet, Genealogiam incerti Auctoris ac temporis comparari non poſſe cum Auctoribus, quos ſuperius citavi.

9. Anonymus Autor Libelli de vita S. Wandregiſili Abbatis Fontanellenſis ait, *Clotarium* tertium *rexiſſe populum Occidentalium Francorum annis quatuordecim.* Sed aliqui codices habent annos tantum *quatuor*: atque adeo nihil poteſt inde colligi.

10. Qui S. Leodegarii Epiſcopi, & Majoris-domûs Franciæ res geſtas ſcripſerunt, aiunt Leo-

degarium *Episcopali munere decem annis jam functum fuisse, cum Clotarius, qui eum promoverat, excessit è vivis:* atque ita Clotarii regnum ultra decennium producunt.

11. In Libello quem de rebus gestis S. Vincentiani Cointius ex Codice Menatensi edidit, Clotarii annus decimus quintus numeratur: verum locum hunc emendandum, annumque decimum tertium decimo quinto substituendum esse contendit ipse Cointius.

Atque hæc sunt, quæ de annis Clotarii tertii repperi apud Antiquos Scriptores. Qua in re observandum, nullum ex his quos appellavi, disertè affirmare Clotarium regnasse annis sexdecim, plerosque id disertè negare: quod primum proposueram.

Addo

Addo id jure ab istis negatum esse, neque Clotarii tertii regnum protrahi posse ad annum decimum sextum. Hoc autem ut evincam, duo sunt quæ probanda suscipio : primum, certum esse quod Clotarius tertius non conscenderit solium ante annum Christi 660. imò maxime esse probabile quod illud nonnisi anno Christi, 662. conscenderit : alterum certum pariter esse, quod Clotarius non vixerit ultra annum 670. probabile autem quod ipso anno Christi 666. interierit. Unde concludo Regem hunc nullatenus dici posse annum regni decimum sextum attigisse.

Ac primo quidem demonstratur Clotarium tertium non conscendisse solium ante annum Christi 660. Clotarius tertius

patrem habuit Clodoveum secundum cujus Epocha certissima est. In comperto enim est annum Clodovei secundi tertium concurrere cum anno Christi 646.

Hujus rei habetur testis omni exceptione major, S. Audoënus Archiepiscopus Rotomagensis, qui in vita S. Eligii sic loquitur. *Convenientes igitur simul in civitate Rotomagensi decima quarta die mensis tertii, anno tertio Clodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias, inter catervas populi, inter agmina Clericorum, inter choros psallentium consecrati sumus gratis ab Episcopis pariter Episcopi, Ego* (Audoënus) *Rotomago, Ille vero* (Eligius) *Noviomo.* Annus ille, quo dies decima quarta mensis tertii, hoc est Maii, incidit in

diem Dominicam ante Litanias ſive ante Aſcenſionem Domini, eſt Annus Chriſti 646. Hoc enim anno 646. celebratum eſt Paſcha die 9. Aprilis, & Feſtum Aſcenſionis die 18. Maii; atque adeo Dominica dies ante Litanias incidit in diem decimam quartam ejuſdem menſis Maii. Igitur conſecrati ſunt Epiſcopi Audoënus & Eligius anno Chriſti 646. Atqui ipſo Audoëno teſte hic annus erat tertius Clodovei ſecundi. Ergo annus tertius Clodovei ſecundi concurrit cum anno Chriſti 646.

Quod in vita S. Eligii Audoënus docuerat, hoc ipſum diſerte ait vetus ille Autor, qui S. Audoëni res geſtas ſcripſit. *Uno die*, inquit, *apud Rothomagum pariter ordinati ſunt, ſanctus Audoënus ejuſdem urbis Archiepiſco-*

pus, ſanctus vero Eligius Noviomagenſis Epiſcopus, anno Dominicæ Incarnationis 646. Pridie Idus Maias Dominico die ante Litanias. Cùm ergo doceat Audoënus ſe & Eligium conſecratos fuiſſe Epiſcopos anno regni Clodovei tertio, nemo dubitare poteſt, quin anno Chriſti 646. Clodoveus ſecundus tertium regni ſui annum egerit.

Epocham hanc confirmat Regum Francorum ſeries ducta à Clodoveo primo ad Clodoveum ſecundum. Clodoveus primus, ut eruditiſſimi Chronologi evidentibus argumentis demonſtrarunt, obiit die 27. Novembris anni 511. Clotarius primus Clodovei filius, * cum mortuus eſt, abſolvebat annum regni quinquageſimum primum. Chilpericus Clotarii filius * annum

** Greg. Tur. lib. 4. cap. 21. Geſta Reg. Franc. cap. 29. Fredeg. Hiſt. Epit. cap. 55.*

** Geſta Reg. Franc. cap. 31. Greg. Tur. lib. 6. cap. 46.*

regni vigeſimum ſecundum abſolvit, vigeſimum tertium inchoavit. Clotarius ſecundus Chilperici filius mortuus eſt * poſt annum regni quadrageſimum quartum, inchoato quadrageſimoquinto. Dagobertus autem Clodovei ſecundi Pater, cum vivere * deſiit, agebat annum regni decimum ſextum.

Fred. g. chron. cap. 1.

* *Fredeg. chr. cap. 56. Geſta Reg. Franc. cap. 42.*

* *Fredeg. Chron. c 79. Geſta Dagob. cap. 48.*

Age ergo & ſupra annum. 511. in cujus fine Clodoveus primus obiit, adde Clotarii primi annos . . . . 51.
Chilperici annos . . . . . . 22.
Clotarii ſecundi annos . . 44.
Dagoberti annos . . . . . 16.
Et Clodovei ſecundi annos 3.
Habebis annum . . . . . 646.

Ergo concurrit annus tertius Clodovei ſecundi cum anno Chriſti 646. & conſequenter

annus ejus primus cum anno Christi 644.

Regnare cœpit Clodoveus secundus, qua die Dagobertus pater ejus mortuus est, hoc est die * 19. Januarii. Regnavit autem, ut minimum, sexdecim annis completis: nullus enim Historicus pauciores ipsi tribuit: neque tu ibis inficias, qui contendis ipsum anno regni decimo-sexto celebrasse conventum Clipiacensem. At Fredegarius expresse ait * eum *regnasse annos octodecim*: idemque sensit * Auctor Anonymus Gestorum Dagoberti primi, quorum sententia longe videtur certior. Nam cum * Historici scribant Clodoveum *in extremis vitæ annis amentem esse effectum*; neque quisquam dixerit, aut dicere possit, amentem jam fuisse Clodoveum, cum an-

* *Gesta Dagob. Reg cap.* 43.

* *Fredeg. Chron cap.* 91.

* *cap.* 52.

* *Ibid.*

no regni ejus decimo-sexto celebratus est conventus Clipiacensis ubi præfuit; restat ut nonnisi anno regni decimo-sexto exeunte, vel ineunte decimo-septimo, in amentiam inciderit. Atqui duobus tantum annis, postquam amens effectus est, *vitam cum regno finivit* : id diserte veteres affirmant. Dicendus est ergo regnasse annis octodecim. Hæc de annis Clodovei secundi disputata sunt paulo fusius; sed quo me illa deducant, vides.

Regnare cœpit Clodoveus secundus die 19. Januarii. Regnum tenuit annis sexdecim integris, ut minimum : valde probabile est tenuisse annis octodecim. Itaque valde probabile est non esse mortuum ante initium anni 662. aut si regnum ejus ad

annos sexdecim contrahas, saltem patet non esse mortuum ante annum Christi 660. Clotarius tertius, nonnisi defuncto parente, solium conscendit: ergo regni ipsius initium differendum est usque ad annum Christi 662. aut saltem usque ad annum 660. quod primum demonstrandum erat. Jam venio ad alterum quod proposueram, nempe certum esse, quod Clotarius non vixerit ultra annum 670. probabile autem, quod ipso anno 666. interierit.

Chilpericus, qui prius Daniel dictus fuerat, agebat annum regni tertium, quando simul cum Ragenfredo Majore-domûs, Vinciacensi pugna victus est ac fugatus à Carolo Martello. Non posse alio Chilperici anno pugnam illam collocari intelli-

gunt omnes, qui temporum illorum Historias perlegerunt; idemque facile confirmarem ex Præcepto pro Monasterio Fossatensi à te exscripto in libris * *de re diplomatica.* Commissa autem est Vinciacensis pugna anno Christi 717. Quapropter concurrit annus Chilperici secundi tertius cum anno Christi 717. Vinciacensis pugnæ Epocham sic demonstro.

* *De re diplomat. lib. 6. p. 466.*

Contigit * hæc die 21. Martii, quæ erat Dominica dies in Quadragesima. Dominicam hanc fuisse diem xv. ante Pascha, hoc est Dominicam Passionis * Annales quidam Francici testantur. Anno autem 717. Dominica Passionis incidit in diem 21. Martii; hoc enim anno celebratum est Pascha die quarta Aprilis. En igitur Epocha altera

* *Fredeg. Chron. cap. 106. Gest. Reg. Franc. cap. 53. Ann. Fr. brev. apud Andr. du Chesne. tom. 2. p. 3.*

* *Andr. du Chesne, tom. 2. p. 7. Annales alii breves.*

certissima : annum Chilperici secundi tertium cum anno Christi 717. concurrere.

Numera ergo annos, quibus Clotarii tertii successores sceptrum tenuerunt ad tertium usque Chilperici secundi annum.

Childerico Clotarii fratri tribuis * annos. . . . . . . 3.

* *Lib. 6. pag. 486.*

Theodorico Childerici successori * annos, ut minimum. . . . . 17.

* *Ibid. p. 473.*

Clodoveo tertio Theodorici filio * annos. . . . . 3.

* *Ibid. p. 476.*

Childeberto Theodorici fratri * annos. . . . . 16.

* *Ibid. p. 484.*

Dagoberto Childeberti filio * annos. . . . . 5.

* *Ibid.*

Quibus annis adjunge Chilperici, qui fuit Dagoberti successor, annos. . . . 3.

Summa erit annorum . . . 47.

Jam detrahe summam illam ab annis septingentis septemdecim (concurrit enim, ut dixi, annus Christi 717. cum anno Chilperici secundi tertio) habebis annum sexcentesimum septuagesimum primum ineuntem, quo dicere debes Childericum Franciam Occidentalem cum Orientali regere cœpisse. Certum est igitur Clotarium tertium, qui ad solium evectus est anno 660. aut etiam 662. vitam non protraxisse ultra annum, 670. aut 671. ineuntem.

Ubi advertendum me hactenus in computandis successorum Clotarii tertii annis secutum esse Chronologiam à te ex diplomatibus emendatam: quid si prætermissis diplomatibus, quorum nonnulla aperte falsa, pleraque incerta, seriem tempo-

rum ex veteribus Historicis ordinemus? Clotarii tertii regnum in spatium multo angustius contrahetur.

Possumus enim Childerico Clotarii fratri tribuere regni * annos. . . . . 3.
Theodorico * . . . . 19.
Clodoveo tertio * . . . . . . 4.
Childeberto * . . . . 17.
Dagoberto * . . . . 5.
Quibus annis si adjungas Chilperici secundi annos. 3.
Erunt anni.. . . . . 51.

** Gest. Reg. Franc. cap. 49.*
** Fredeg. chr. cap. 101. Chron. brev. apud And. du Chesne, Tom. 1. p. 781.*
** Gest. Reg. Franc. c. 50. Chron. brev.*
** Chron. brev. Gesta Reg. Fr. cap. 50.*
** Fredeg. chr. cap. 106. Gesta Reg. Fr. cap. 52. aliique.*

Quam summam si detraxeris ab annis septingentis septemdecim, restabunt anni 666. Clotariusque tertius dicendus erit obiisse anno Christi sexcentesimo sexagesimo sexto. Quod si Clodoveus secundus ejus pater regnavit, ut valde probabile est, annos

annos 18. & vitam produxit ad annum Christi 662. supererunt tantummodo anni quatuor cum aliquot mensibus, quibus Clotarii regnum concludetur.

Scio à multis eruditis viris Clotarii tertii regnum protrahi ad anuum decimum-quartum, decurtatis Successorum ejus annis. Sed institutam ab ipsis temporum seriem non sequeris, nec sequi potes, quandiu valere diplomata tua & genuina esse contenderis. Neque si sequaris, idcirco ostendes legitimum esse Diploma, in quo decimus-sextus ejusdem Clotarii tertii annus notatur.

Nunc ut dicta paucis verbis contraham. Constat annum Clodovei secundi tertium concurrere cum anno Christi 646. & Chilperici secundi annum

item tertium incidere in annum Christi 717. Gemina hæc Epocha superius demonstrata est. Ab anno Christi 646. ad annum 717. numerantur anni dumtaxat 72. ex quibus si detraxeris illos qui cæteris sunt Regibus assignandi, hoc est 61. juxta chronologiam tuam, aut 67. juxta Autores à me citatos, non possunt anni superesse sexdecim quos Clotario tribuas. Quare cum certum sit Clotarium tertium non pervenisse ad annum regni decimum-sextum, imo valde probabile sit ipsum vix annum regni quintum attigisse, omnino falsa dicenda est Charta Chrotildis matronæ, quam anno regni Clotarii decimo-sexto datam esse vis; quod erat demonstrandum.

Jam vero huic capiti prius-

quam finem impono, per te mihi liceat velim, Vir erudite, paulò liberius hic tecum expostulare & queri; quod diplomatibus vetustis adversus Historicorum fidem plus æquo favere videaris. Nam cum in Merovingica & Carolina Diplomata, non modo remotissimorum temporum longinquitas, sed etiam multiplices Falsariorum fraudes, injiciant suspicionem falsi, quæ nullo à te argumento expurgata est, nec fortasse potest expurgari: durum est ex his tamen Diplomatibus institutam à veteribus ac minime suspectis Historicis chronologiam emendare velle. Quid enim? Si coram peritissimo aliquo forensi Judice steterint partes adversæ; atque hinc proferatur semilacera Chrotildis matronæ Charta

notata anno Clotarii tertii decimo-sexto: illinc opponatur Fredegarii, qui temporum Clotarii tertii tantùm non æqualis est; Anonymi Scriptoris, qui sub Theodorico Calensi vixit; Aimoini, cæterorumque Historicorum testimonium, quorum plerique Clotario tertio annos dumtaxat quatuor, ne unus quidem annos sexdecim tribuit: id inquam, si proponatur judici; putasne æquissimum virum & idoneum rerum æstimatorem, repudiata tot tantorumque testium auctoritate, litem adjudicaturum esse incerto Diplomati? an non potius pro falso habiturum esse Diploma, quod historicæ fidei tam aperte repugnat? Quod si vetustiora instrumenta, quæ cum probatis historiæ monumentis non consentiunt, in judicio forensi ne-

mo prudens admiserit: cur eadem à litteratis hominibus ut indubitata recipi postulas? Sed rem nostram prosequamur.

CAPUT VI.

De sexto Autographorum indubicatorum specimine.

SPECIMEN * illud Præceptum est, quo Theodoricus Clodovei secundi filius ait. 1. Se in perpetuum Cœnobio Dionysiano concedere *Latiniacum villam positam in pago Meldequo.* 2. Villam illam fuisse olim possessam ab illustribus viris Ebroino, Waratone, & Ghislemaro Præfectis palatio seu Majoribusdomûs regiæ. 3. Eandem ad fiscum regium ipsius Waratonis morte rediisse. Præceptum illud spurium esse multa argu-

* *De re diplomat. lib. 5. p. 379. lib. 6. p. 471.*

menta demonstrant.

1. Tria quæ modo commemoravi, falsa sunt. Nam villa Latiniacum sita in pago Meldensi, non à Theodorico, sed à Dagoberto Theodorici avo fuit Basilicæ Dionysianæ concessa anno ipsius regni decimo-quarto. Eadem villa non fuerat possessa ab Ebroino, Waratone & Ghislemaro Majoribus-domûs, sed à Bobone Duce, & à Tacilone Comite Palatii. Denique non illa rediit ad fiscum regium morte possessoris : sed hanc ab iisdem Bobone & Tacilone, commutatione alterius villæ, Dagobertus receperat. Hæc omnia Anonymus Monachus Dionysianus Scriptor Gestorum Dagoberti primi expresse testatur his verbis. * *Eodem tempore* (hoc est anno 14. regni sui) *devotis-*

* Cap. 37.

ſimus Rex Dagobertus Eccleſiam Chriſti martyrum Dionyſii ac ſociorum ejus heredem propriorum fecit Præceptorum ſubſcriptionibus, de Campania villa..... & de Tibernione..... ſeu etiam de Latiniaco, quæ ſita eſt in territorio Meldico, quam ipſe Rex cum Bobone Duce & Tacilone Comite Palatii, de ſuo proprio fiſco commutaverat.

2. Præceptum illud Theodorici nomine confictum, ſic incipit. *Theodoricus Rex Francorum vir inluſter. Dum & nobis divena pietas ad legitema ætate fecit pervenire, & in ſolium rigni parentum noſtrorum ſuccidire oportit, nobis & condecit pro ſalute animæ noſtræ cogitare debiamus.* Quæ verba Adoleſcentem ſapiunt, qui vix alienæ tutelæ annos egreſſus, legitimamque ætatem adeptus, ſolium paternum recèns conſ-

cenderit : non virum decent, qui fermè quadragenarius à sexdecim annis sceptro potiatur; qualem Theodoricum tunc fuisse fateri debes. Observas * enim annum Theodorici decimum-sextum concurrere cum anno Christi sexcentesimo nonagesimo: idemque * indicas Clodoveum secundum Theodorici patrem è vivis excessisse anno Christi 654. aut 655. ineunte, numerasque annos triginta sex ab obitu Clodovei ad annum Theodorici decimum-sextum, cujus autem pater ante annos triginta-sex obierit, ille trigesimum septimum saltem ætatis annum attigerit necesse est.

Quid si, cum Clodoveus vivere desiit, Theodoricus jam bimus fuit aut trimus? Quippe cum veteres Historici * tradant

** De re diplom. lib. 6. p. 471.*

** Ibid. pag. 468.*

** Fredeg. Chron. cap. 91. Gesta Dag. Reg. c. ult.*

Clodoveum ſecundum duobus poſtremis vitæ annis amentem fuiſſe: valde credibile eſt filiorum ejus natu minimum, annos ſaltem duos aut tres, cum Pater obiit, habuiſſe. Unde conſequens eſt Theodoricum juxta inſtitutam à te rationem temporum fuiſſe ferè quadragenarium, cum annum ageret regni decimumſextum. Quis ergo credat Regem quadragenarium, & agentem annum regni decimumſextum, tum primùm cogitaſſe de gratiis divino numini habendis, quod à tutoribus liber & ſui juris factus ad legitimam ætatem pervenerit, & paternum ſolium conſcenderit?

Neque opponas Theodoricum fuiſſe multo minorem quadragenario juxta propoſitam ſuperius chronologiam, in qua

Clotarii tertii Theodorici fratris natu maximi regnum ad quatuor aut quinque annos contrahitur. Nam tibi chronologiam hanc sequi non licet, quandiu contendis genuina esse exhibitorum à te diplomatum Autographa. Neque si sequaris, ruet propterea argumentum quod exposuimus : cum semper ridiculum sit eum qui agat annum ætatis vigesimum-septimum vel octavum, regni vero decimum-sextum, jam tum primùm Deo gratias habere, quod legitimam ætatem consecutus, regno avito potiatur.

3. Idem Theodoricus, ut significet se Reginæ Crodochildis precibus excitatum esse ad donandam Cœnobio Dionysiano villam Latiniacum, sic loquitur : *nos ad suggestione præcelsæ*

Reginæ noſtræ Chrodochilde...... Quæ loquendi formula, ut Rex uxorem vocet *Reginam noſtram*, eſt omnino inſolens & inuſitata. Chrodechildem *Reginam noſtram* Franci vocare poterant, non Francorum Rex, cui ipſa Regina eſſet ſubjecta. Neque cæteri Reges, cum in diplomatibus Reginam aliquam appellant, ſic ſolent abſolutè dicere REGINAM NOSTRAM: ſed dicunt *præcelſam genitricem noſtram Reginam, dulciſsimam conjugem noſtram Reginam.*

4. Idem Rex Theodoricus poſt verba à me modo recitata ſic pergit: *Nos ad ſuggeſtione præcelſæ Reginæ noſtræ Chrodechilde, ſeo & inluſtri viro Berchario Majorem-domos noſtræ......* Quæ poſtrema verba novum argumentum falſi continent, ſi modo ra-

tio temporum quam ſequeris vera eſt. Quippe mors Bercharii, qui vulgò Bertharius dicitur, debet juxta Chronologiam tuam contigiſſe anno Theodorici decimo-quarto. Pipinus enim * nonniſi poſt occiſum Berthaſrium ſuſcepit præfecturam Franciæ Occidentalis, cum antea ſolis Auſtraſiis præeſſet : rexit autem utrumque populum Franciæ Orientalis & Occidentalis annis * viginti-ſeptem : & mortuus eſt anno Chriſti * 714. adeoque utriuſque regni principatum ſuſcepit anno 688. poſt Victoriam Textriciacenſem & Bertharii mortem. Jam vero ſi inſtituta à te ratio temporum vera eſt, incidit annus Chriſti, 688. in annum Theodorici decimum-quartum. Occiſus eſt ergo Bertharius juxta Chronologiam

* *Erchamb. Frag. Fredeg. Chr. Geſta Reg. Franc. &c.*

* *Fredeg. Chron. Geſta Reg. Franc. aliique.*

* *Frag. Hiſt. apud Andr. du Cheſne, tom. 3. p. 783.*

logiam tuam ánno Theodorici decimo-quarto.

Quæro igitur, quomodo Bertharius anno Theodorici 14. occiſus, potuerit eidem Regi anno regni ejus 16. ſuggerere, ut villam Latiniacum Cœnobio Dionyſiano concederet? Scilicet *ejus rei faciendæ*,* inquis, *Auctor Bercharius adhuc vivens & inſtigator fuerat*. Quaſi vero Pipinus, à cujus nutu tum Theodoricus pendebat, honorificam Bertharii æmuli ſui mortui mentionem ſine ulla cauſa fieri permiſiſſet.

* *De re diplom. Lib. 6. p. 472.*

Cætera, quæ adverſus idem Theodorici Præceptum adjici poſſent non pauca, prætermitto, cùm hæc ad ejus fidem elevandam ſatis ſuperque eſſe videantur.

Caput VII.

De septimo & decimo Autographorum indubitatorum speciminibus.

DUo specimina hoc uno capite complector, quia eodem ambo argumenti genere impugnari possunt.

Primum quidem Placitum * est quo Theodoricus Rex Chramlino Episcopo Ebredunensi exauctorato indulget, ut facultates suas post exaugurationem retinere possit. Placitum illud propria manus suæ subscriptione Theodoricus roboratum voluit : sic enim ipse loquitur in fine. *Et ut hæc autoritas firmior habiatur, manus nostræ subscriptionibus subter eam dicrevimus roborare*. Post hæc autem verba se-

* De re Diplomat. lib. 5. pag. 361. lib. 6. p. 469.

quitur ipsa subscriptio hoc modo, IN CHRISTI NOMENE THEUDERICUS REX SUBS. Præceptum de villa Latiniaco, quod superiori capite examinatum est, subscriptione sua Theodoricus pariter firmavit, ut patet ex postremis Præcepti verbis: *Et ut hæc præceptio jussio nostra firmior habiatur, & melius per tempora conservitur, manus nostri subcriptionibus subter eam decrivemus roborare.* Infra subscriptio legitur hoc modo, IN CHRISTI NOMENE THEUDERICUS REX SUBS.

Istorum diplomatum veritas aut falsitas ut magis ac magis explorata esset, placuit manus regiæ subscriptionem unam cum altera conferre. Quippe si genuina sunt ambo diplomata, aiebam, erit in utraque subscriptione eadem manus, eadem scriptu-

ra: ſin alia manus in uno, alia in altero Diplomate apparet; vel utrumque ſpurium ſit neceſſe eſt, vel ſaltem erit alterutrum falſum, & conſequenter utrumque ſuſpectum. Factæ autem comparationis is eventus fuit.

1. Ut & de cæteris ſileam, obſervatum eſt litteram E, quæ in utraque ſubſcriptione quinquies occurrit, utrobique eſſe planè diverſam. In Præcepto de villa Latiniaco ſemper delineata eſt gemino calami ductu; ita ut ductus unus Litteræ partem præcipuam ac totum veluti corpus efficiat, alter Litteræ ſuperaddat caput ſive roſtrum. Prior calami ductus ſuperiore ſua parte Litteram antecedentem reſpicit, inferiore conſequentem. Ductus alter poſtquam Litteræ caput ef-

formavit, eandem cum Littera conſequente connectit. Atque hæc Litterulæ forma quinquies obſervata reperitur in ſexti ſpeciminis ſubſcriptione. Contra in ſubſcriptione ſeptimi, eadem Littera formam habet planè diverſam, unicoque tractu ducta non eodem modo Litteræ conſequenti ſeſe inſerit. Sunt & aliæ plures Litteræ, in quibus non levis animadvertitur diverſitas : ſed quia illæ non recurrunt ſæpius ut Littera E, quæ in ſubſcriptione quinquies repetitur : idcirco de hac ſola Littera comparationem inſtituo.

2. Utriuſque ſubſcriptionis diverſitas multo manifeſtius ſe prodit, ſi curioſius inſpiciantur grandiores illi tractus, quibus plurimæ Litteræ modo ſupra, modo infra alias longiſſimè ex-

currunt. Nam cum tractus ejuſmodi liberiori calamo duci ſoleant, in his maximè relucet cujuſque manus indoles & ſcripturæ ingenium. Porrò illi in ſpecimine ſexto prodeunt rectâ, eodem ſemper tenore, nec graciliores in parte infima, quam in ſuprema. E conrrario in ſeptimo ſpecimine, leviori manu ducti, atque in arcum recurvi extenuantur ſenſim, & in minutiſſimum acumen deſinunt. Unde inferas non eadem manu in utroque Diplomate ſcripta eſſe hæc verba, IN CHRISTI NOMENE THEUDERICUS REX SUBS. Atqui in utroque Theodoricus expreſſe teſtatur ſe propria manu ſubſcribere. Ergo vel utrumque, vel ſaltem alterutrum Diploma falſum eſt.

Jam vero ad ſpecimen deci-

mum veniamus. Eo continetur * Præceptum, quo Childebertus Theodorici filius villam Napſiniacum in pago Bituricenſi largitur Monaſterio Dionyſiano. Chartam Regi obtulit, proprioque nomine ac Chirographaria nota obſignavit idem Wlfolaëcus Referendarius, qui Præceptum de Latiniaco villa obſignaverat. Utrumque ergo Chirographum compone, animadvertes lineas triplici quidem verſu utrobique circumductas, ſed numero tam diſpari, tam diſſimili forma, ut nemo dicere poſſit eadem manu eſſe exaratas. Quod ſi diverſum eſt Chirographum, alterutrum Diploma inter ſpuria debet amandari. Cum autem neſciatur, utrius diplomatis chirographum adulterinum ſit, utrumque remanet incertum.

* *De re diplomat. lib. 5. pag. 382. lib. 6. p. 476.*

Neque verò existimes aut Theodorici Regis subscriptionem geminam, aut geminum Wlfolaëci Referendarii chirographum, & chirographo appositum signum obiter ac perfunctoriè à me esse examinatum. Oculis propriis diffidens, peritissimos in secernendis scripturis homines & experientissimos in hac arte Magistros consului. Hi re diligenter inspecta, & seorsum interrogati responderunt, tum gemina Theodorici Chirographa, tum duabus in chartis appictas Wlfolaëci nomini Chirographarias tesseras, manu planè diversa esse descripta; si modo qui diplomata in ære incidit Cælator, Autographa fideliter expresserit. Autographa enim ad manus habere cùm non liceret, ex insertis

libro tuo tabellis totum judicium inſtitutum eſt. Verum chirographa & ſigna, de quibus agimus, non eſſe temere æri inciſa, ſed Autographum in iis accuratè repræſentari, cùm multa ſunt quæ perſuadent; tum illud imprimis, quod litteræ ac calami ductus quoties in eadem charta recurrunt, ſemper ſui ſint ſimiles ejuſdemque indolis; nec à ſe invicem diſſideant, niſi in diverſa charta.

Quod ſi tu aliud judicas, qui non diplomatum effigies, ſed diplomata ipſa habes ad manum: tuum erit adhibere aliquos viros in dijudicandis ſcripturis & chirographis exercitatos: qui ſi teſtentur vel Theodorici gemina Chirographa, vel duo Wlfolaëci Referendarii ſigna ejuſdem eſſe manûs ac ſcripturæ,

cedam illico & lubens, petitumque ex discrepantia scripturarum argumentum nullum esse pronunciabo. Sed quandoquidem de chirographorum comparatione sermo incidit, patere ut quod mihi in mentem venit, libere aperiam.

Miratus sum sæpenumero quod, cum adeo strenuus ac diligens fueris in conquirendis argumentis quibus veteres chartas veras à falsis secerneres, unum tamen prætermiseris, quod videtur maximè obvium, & est cæteris multo certius: nimirum Chirographorum ac Scripturarum comparationem. Hæc autem comparatio meo quidem judicio sic institui posset. Conferri debent inter se diplomata omnia, quæ ab eodem seu Rege, seu Referendario suscripta fe-

runtur. Cùm dico omnia, ne illa quidem excipio, quorum falsitas manifesta est & cunctis nota. Quippe manifestè falsa sunt utilia ad retegendam aliorum falsitatem, cùm obscura est, nec in aperto se prodit. Mentem explico.

1. Si diversa diplomata ejusdem Regis aut Referendarii nomen habeant, & eadem in singulis fuerit manus, idem chirographum; omnium eadem debet esse fortuna: hoc est, si ex his unum conviceris falsi, cætera falsa sint necesse est: si unum probaveris verum, cætera pariter vera esse probaveris; falso enim falsum potest aliquando congruere, falso verum consentire nunquam potest. Atque ut exemplum hujus rei subjiciam; servatur in Tabulario Diony-

siano celebre illud Clodovei secundi Diploma, quod quia non modo genuinum esse autumas, sed etiam cæterorum normam esse vis & specimen, integrum ac sub ipsa Autographi forma æri incisum repræsentasti. Subscriptum istud est non modo à Clodoveo Rege, sed etiam ab Eligio, Landerico, Palladio, Claro, Ermenrico, aliisque tum Episcopis, tum viris Illustribus, qui pariter subscripsisse reperiuntur pluribus diplomatibus, quæ tamquam genuina à Dubleto edita, tu tamen spuria esse negare non potes. Antequam ergo Clodoveanum Diploma pro libertate Monasterii Dionysiani verum esse & indubitatum Autographum pronunciares, debueras, ut mihi videtur, explorare, an quæ in isto haben-
tur

tur ſubſcriptiones Clodovei Regis, Landerici, Eligii, aliorumque, non ſint ejuſdem manûs & ſcripturæ, ac earumdem perſonarum ſubſcriptiones, quæ in Diplomatibus ſpuriis occurrunt. Si enim eadem manus eſt, Clodoveanum Diploma pro libertate Dionyſiani Monaſterii debet cum aliis inter adulterina numerari.

2. Si comparata inter ſe varia ab eodem Rege ſeu Referendario ſubſcripta Diplomata non conſentiant, neceſſe eſt ut ex his unum ſit falſum, fieri poteſt ut nullum ſit verum: quia verum vero nunquam, falſum autem falſo ſæpiſſime opponitur. Ex.g. Diplomata, quorum comparatio in hoc capite facta eſt, non ſunt ſimul vera, quia non conſentiunt chirographa: ſed poſ-

ſunt eſſe ſimul falſa; quia potuerunt à diverſis falſatoribus fabricari.

3. Cum ſervata in diverſis Eccleſiis ac regionibus Diplomata, ejuſdem Regis ac Referendarii manu ſubſcripta videntur; & illa inter ſe compoſita repræſentant eandem manum, idem chirographum; debent, ſi modo nihil aliud obſtat, vera cenſeri. Quippe fieri facilè poteſt, ut in eodem Tabulario in eademque regione plura idem Falſarius Diplomata ſpuria adornarit: at ut id feceerit in diverſis Tabulariis & regionibus, fieri facilè non poteſt.

Poſſet ergo hac Diplomatum comparatione ſyncerorum Autographorum veritas agnoſci. Quorum indubitatorum ſi ſemel collecta eſſet copia aliqua, tum tutò poſſes ex diligenti iſtorum

inſpectione artem Diplomaticam inſtituere, & leges ſecernendi antiqua inſtrumenta vera à falſis.

CAPUT VIII.

De octavo Autographorum indubitatorum ſpecimine.

EXHIBET * nobis octavum ſpecimen Vandemiris & Erchambertæ ejus conjugis Chartam; quæ, ſi vera eſt, probat fuiſſe ambos ditiſſimos & piiſſimos; utpote qui vel uno hoc inſtrumento viginti ſeptem villas variis ſeu Eccleſiis, ſeu Monaſteriis donant. At charta illa multis nominibus tibi ſuſpecta eſſe debuit.

* *De re diplomat. lib. 5. p. 281. lib. 6. pag. 472.*

Atque ut cætera taceam, quî fieri poteſt, ut cum ſis rerum harum peritiſſimus, certum & in-

dubitatum existimes Diploma, in quo hæc leguntur: *Simile modo donamus ad Basilica Domnæ Vincente, vel Domni Germani, ubi Vir venerabilis Audcharius Abba præesse veditur villas cognomenantis Oxma in pago Dorcassino, Moviolio in pago Andegavino, cum omne intigritate.... Anno XVII. rigni Domini nostri Theuderice gloriosissimi Regis.* Quibus paucis verbis duo enunciantur, quorum unum valde incertum, alterum manifestè falsum est, nec Theodorici Regis temporibus ullatenus congruit.

1°. An Theodorici Regis temporibus Audcharius, sive Autharius Abbas præfuerit Monasterio S. Vincentii, quod nunc dicitur *S. Germani de pratis*, valde incertum est, si non manifestè falsum. Non èquidem igno-

ro alterum citatum eſſe * à te Theodorici Diploma in quo pariter laudatur Autharius Abbas. Sed utrique Diplomati oppono primò veteres Monaſterii Indices ſcriptos ante annos quingentos. Illi enim, * ut ipſe fateris, inter Abbates Monaſterii *S. Germani de pratis* unicum recenſent Autharium, quem ſub Childeberto primo collocant; & affirmant fuiſſe *primum hujuſce loci Abbatem.*

* *Sæc 3. Benedict. pars 2. p. 93.*

* *De re diplomat. lib. 6. pag. 481. 378.*

Oppono præterea Aimoinum, qui ante annos fermè nongentos ſcribebat * Autharium à Childeberto Clodovei magni filio omnium primum Pariſienſi ſancti Vincentii Monaſterio eſſe Præfectum. Idem Auctor ſub Theodorico Clodovei ſecundi filio quatuor ait in eodem Monaſterio vixiſſe Abbates; * Si-

* *De Geſtis Franc. lib. 2. cap. 20. p. 61.*

* *Ibid. lib. 4. cap. 46. p. 188.*

gofridum scilicet, Sanctum Babolenum, * Childeramnum, & Hunfridum; nullo alio, præter hunc quem primum numerat, Authario appellato.

* *Ibid. cap. & pag. seqq.*

Porrò Aimoini auctoritas etsi fortasse aliis in rebus elevari potest, quod libri ejus nonnulla menda contineant: tamen, ubi agitur de rebus Abbatibusque Monasterii *S. Germani de pratis*, magni debet esse ponderis. Erat enim ipse Monachus ex Familia S. Benedicti, quem *Patrem* * vocat, *cui suum scire, suum posse, suumque vivere post Deum acceptum ferre* se profitetur. Præterea eundem vixisse in Monasterio S. Germani, ibique fuisse Notarium sive Scribam Capituli contendit Aimoini Editor Jacobus du Breul Monachus & ipse Germanensis. Denique Ai-

* *Aimoin. De Gestis Franc. Epist. nuncup.*

moinus floruit nono ſæculo, quo tempore facilè adhuc fuit legitimam omnium, qui Monaſterio ſuo præfuerant, Abbatum ſeriem texere: eorum præſertim qui vel ſub finem ſeptimi ſæculi, vel ſæculo octavo vixerant, cum iſtorum tempora tantum non contingeret Aimoinus.

Nihil ergo prohibere poterat, ſi modo id curavit, quominus Abbatum illorum nomina haberet, qui ſub Theodorico, de quo nunc agimus, Monaſterium ſuum rexerant. Id autem curaviſſe ſe ſatis apertè indicat, vel in operis fronte. Quippe inſtituti ſui rationem reddens, profitetur ſibi quidem ante omnia propoſitum eſſe, ut * *res geſtas Francorum, quæ per diverſos ſparſæ libros, & inculto erant ſermone deſcriptæ, in unius redigeret corpus*

* *Aimoin.* De Geſt. Fr. Epiſt. *nuncup.*

opusculi, & ad emendatiorem Latinitatis redigeret formam. Sed præterea addit *se præcipue curavisse, ut in omnibus libris mentio fieret Benedicti Patris..... certis ex causis*: hoc est, ut ego interpretor, certis ex monumentis. Fuisset autem immensum totius ordinis S. Benedicti res universas complecti. Quare præ cæteris Monasterium suum elegit, cujus historiam & Abbatum successionem certis ex monumentis breviter descriptam, historiæ ac rebus gestis Francorum insereret. Fuerit igitur Aimoinus in cæteris negligens: tamen in successione illa describenda diligentissimam ab eo positam fuisse operam, nemo ambigere potest.

Hæc cum ita sint, miror Aimoini testimonium à te hoc in loco postponi testimonio aucto-

ris illius, qui vitam S. Droctovei ſcripſit. Qui Auctor Monachus quidem fuit Germanenſis, ut Aimoinus; ſed Anonymus, & incerti temporis : de quo hæc tantum certò ſcimus, nempe quod Aimoino, cujus * Libros *de Geſtis Francorum* citat, fuerit poſterior ; quod vixerit * poſt iteratam Baſilicæ ſancti Germani deflagrationem, quam ſub finem noni ſæculi contigiſſe * affirmas ; quod ſcripſerit poſt incendium quo Bibliothecæ Monaſterii ſui Libri * omnes ſimul cum veteri S. Droctovei vita abſumpti ſunt. Ejuſmodi Auctorem incerti nominis & temporis, omnibus ferè adjumentis ad veritatem detegendam neceſſariis deſtitutum Aimoino longè antiquiori, Abbatum Monaſterii ſui ſeriem certis ex monumentis

* *Vita S. Droct. num 2.*
* *Ibid. n. 11.*
* *Sæc. 1. Bened. p. 255.*
* *Vita S. Droct. num. 1.*

describenti quis anteponat?

Quanquam Anonymus ille Scriptor nihil omnino habet de Authario Abbate, quem Diplomata tua contra Historiæ fidem rejiciunt ad Theodorici tempora. Sed sanctum Droctoveum, qui ab Aimoino dicitur Authario successisse in regimine Monasterii S. Vincentii, ipse Anonymus Monachus scribit * *à Beato Germano* primum Abbatem esse delectum. Quæ ejus verba non sic accipienda sunt, ut sanctus Droctoveus intelligatur omnium omnino primus Abbas fuisse in Monasterio S. Vincentii. Significat * enim ipse Auctor qui ita loquitur, Droctoveum nonnisi post Childeberti Regis mortem ac Basilicæ Dedicationem Abbatem esse delectum. Atqui apud S. Vincentium

* *Num. 2.*

* *Num. 14.*

Childebertus ipſe vivens Monachos conſtituerat; hos autem ſine Prælato vixiſſe nemo dixerit. Fuit ergo ibidem aliquis ante S. Droctoveum Prælatus, nimirum Autharius, quem à Childeberto Rege ibi inſtitutum expreſſe docet Aimoinus.

Autharium autem, quem Anonymus Scriptor videtur ignorare non potuiſſe, ab ipſo prætermiſſum eſſe ſuſpicor; tum quia pulchrius erat originem Monaſterii ſui repetere à Sancto Droctoveo, quàm ab Authario qui in album Sanctorum non eſt relatus; tum quia Autharius prima tantum vidit Monaſterii incunabula, cùm illius nulla adhuc certa eſſet forma. Eam enim à Beato Germano poſt Baſilicæ ipſius dedicationem accepit, cùm jam Monachis præeſſet Droctoveus.

Ut ut est, Anonymi Scriptoris testimonium non est tanti, ut Aimoino & veteribus Monasterii Indicibus fides idcirco abjudicari, & Autharius Abbas è primo loco ad Theodorici tempora amandari debeat. Quod si sua Authario sedes servatur, & primus dicitur à Childeberto institutus Abbas Monasterii S. Vincentii, falsum est Diploma in quo anno Theodorici regni decimo-septimo illic præfuisse ponitur.

2. Ejusdem Diplomatis falsitas multo certius alio ex capite revinci potest. Nimirum in verbis initio hujus capitis à me relatis ex illo Diplomate. Sancti Vincentii Basilica simul vocatur *Basilica Domni Germani*; cùm tamen omnino certum videatur, nobile illud templum Theodo-

rici

rici Regis tempore nondum dictum fuisse *Basilicam Sancti Germani.*

Ac primò constat Basilicam illam à Childeberto Clodovei magni filio conditam, & ab ipso sancto Germano Parisiensi Episcopo consecratam, dedicatam esse in honorem sanctæ Crucis & sancti Vicentii. Id tu * diserte affirmas: id antiqui Auctores docent,* Usuardus,* Aimoinus, * Gregorius Turonensis, & * alii.

** Sæc tert. Benedict. part. 2. pag. 92.*
** In Martyr.*
** De Gestis Franc. lib. 2. cap. 10.*
** Greg Turon. Hist. lib 4. cap. 20.*
** GestaRegum Franc. cap. 26.*

Eadem Basilica pristinum nomen retinuit, etiam postquam S. Germanus, qui illam dedicaverat, sepultus est in sancti Symphoriani sacello, quod ipsi Basilicæ cohærebat, & in ipsius porticu erat positum. Hoc ipsum discimus ex Gregorio Turonensi, qui post S. Germani

mortem quoties laudatam modo Basilicam nominat (nominat autem * sæpius) eam nunquam Basilicam sancti Germani appellat, sed Basilicam sancti Vincentii, servato primo nomine.

* *Greg. Tur. Hist. lib. 6. c. ult lib. 8. c. 10 & 33. lib. de glor. conf. cap. 90.*

Idem mos perseveravit temporibus Dagoberti primi, qui fuit avus Theodorici, de quo nunc agimus. Sic enim loquitur ipse Dagobertus in Testamento, quod anno regni decimoquarto condidit: *Donamus*, ait, *ad Basilicam Domni Vicentii Parrhisius, donatumque in perpetuum esse decrevimus, villam cognominatam Cumbis, in pago Parrhisiaco, quam Ursa filia Arderici tenuit.* Atque huic Dagoberti Testamento, cujus partem exscripsit * Aimoinus nono sæculo, tutius fidem haberi puto, quam chartis, quæ nullius antiqui Scri-

* *Aimoin. De Gest. Franc. lib. 4. cap. 30. p. 176.*

ptoris auctoritate munitæ, nunc primùm è tenebris in lucem prodeunt.

Idem nomen usurpat longè post Theodorici tempora Fredegarius in Chronico,* ubi Clotarium Dagoberti Patrem *in Ecclesia sancti Vincentii in suburbano Parisius esse sepultum* monet.

* *Cap. 56.*

Retinuit primum nomen insignis Basilica, & vocata est Basilica sancti Vincentii usque ad Pipini Regis tempora, cum translato in eam S. Germani corpore dici cœpit *Basilica S. Germani*. Sanctissimi enim Præsulis relliquiæ fuerant post obitum depositæ juxta corpora Eleutherii & Eusebiæ ipsius parentum, * in sacello sancti Symphoriani; ibique humatæ jacuerant ducentis circiter annis. Sacellum autem sancti Symphoriani * cohære-

* *Sæc. tert. Bened. pars 2. p. 97. Anon. Aut. Hist transl. S. Germani.*

* *Ibid.*

bat quidem Basilicæ sancti Vincentii, & erat * in ejus porticu positum : sed tamen erat extra ipsam Ecclesiam, * in quam non potuit sanctissimi Episcopi corpus ex sacello inferri, nisi *pariete Ecclesiæ perforato.*

* Ibid.

* Ibid.

Quandiu S. Germani corpus in Sacello illo substitit, sepulchrum ejus, nec multis donariis, nec adeo frequenti populi concursu fuit celebratum. Id ipse Auctor *Historiæ translationis sancti Germani*, id Aimoinus non obscurè significant. Apertius declarat Carolus Magnus testis oculatus. Aliquando enim ingressus S. Germani Basilicam, stans ante altare sanctæ Crucis, coram omnibus sic locutus est : *Videtis, ô populi, condignum decorem hujus Ecclesiæ ? Reminiscor certè illius temporis, quo nihil ho-*

rum ornamentorum auri & argenti, excepta hac cruce, hic fabricatum erat. Domnus quippe Germanus tunc in illa crypta quieſcebat; & parum quiddam, quod ibi modo habetur, pro magno computabatur. Pergit piiſſimus Imperator narrare, quemadmodum ex eadem crypta intra ipſius Eccleſiæ aulam venerandum corpus adoleſcentulo ſe ac præſente fuerit tranſlatum. Atque hæc audiviſſe ſe Anonymus Auctor affirmat ex ipſius Imperatoris ore; *cujus verbis*, ait *, *majorem fidem adhibui, quam ſi ea, quæ dicebantur, ipſe corporalibus oculis vidiſſem.*

* *Sæc. tert. Ben. part. 2. pag. 95.*

Cùm igitur in comperto ſit, ante Pipini Regis tempora S. Germani corpus extra Baſilicam S. Vincentii humatum jacuiſſe; cur Baſilica eadem jam tum vocaretur Baſilica ſancti Germa-

ni? Certè si Sacellum, in quo ipsum corpus servabatur, non exuit pristinum nomen, sed semper dictum est Sacellum sancti Symphoriani: cur ipsa Basilica, extra quam sepulcrum erat positum, dicta fuisset *Basilica Sancti Germani*? Nulla nominis mutandi ratio fuit, donec sanctissimi Præsulis corpus ex Sacello intra ipsius Ecclesiæ aulam fuerit invectum, & sepulcrum ejus ingenti populorum concursu frequentissimisque miraculis cæperit celebrari. Hoc autem sub Pipino Rege contigit: igitur nonnisi tunc dici potuit *Basilica sancti Germani*, quæ prius dicta fuerat sanctæ Crucis & sancti Vincentii.

Rem ita esse apertè insinuat jam supra laudatus, Anonymus, sed coævus, Scriptor *Historiæ*

Translationis sancti Germani. Ille enim ut accuratus fuit, ante Translationem factam semper Basilicam vocat * *Ecclesiam sancti Vincentii*, nunquam Ecclesiam sancti Germani. Contra autem translatione facta, eandem semper vocat * *Ecclesiam sancti Germani*, nunquam Ecclesiam sancti Vincentii. Usque adeo certum est insignem hanc Basilicam non esse dictam *Basilicam sancti Germani*, antequam sanctissimi Præsulis corpus in eam fuisset illatum.

* *Sæc. tert. Bened. part. 2. p. 94. & 95.*

Ibid. p. 97. & seqq.

Porro si admittatur illa epocha, quam ego firmissimis argumentis demonstratam reor; nempe Parisiensem sanctæ Crucis ac sancti Vincentii Basilicam non esse dictam Basilicam sancti Germani ante Pipini Regis tempora, cùm in eam piissi-

mi Antiſtis reliquiæ, curante & rem promovente Lantfredo Abbate, tranſlatæ ſunt ex S. Symphoriani Sacello, ubi ducentis circiter annis humatæ jacuerant: hæc, inquam, Epocha ſi certa ſit, falſi convicta eſt Vandemiris & Erchambertæ Charta, in qua regnante Theodorico Rege Baſilica S. Vicentii jam tum nominatur *Baſilica Domni Germani.*

Eandem ob cauſam falſa dici debet Charta Childeberti Regis, quam in libro ſexto vigeſimam quintam * retuliſti: in qua ſancti Vincentii Monaſterium ter appellatur *Monaſtyrium Domni Germani*. Falſæ itidem litteræ, * quibus *Chulbertha fæmina, anno quinto Chilperici Regis, teſtatur ſe per venditionis titolum Monaſterio ſanctæ Crucis & Domni Germani*

* *De re diplomatica Lib.* 6. p. 480.

* *Sæc. tert. Bened. part.* 2. p. 94.

cessisse res suas in villa Bod'sio & in villa Mantla, easque tempore famis precario recepisse. Uno verbo falsa sunt omnia diplomata, quæ cum sub Merovingis Regibus data dicantur, Basilicam tamen sanctæ Crucis & sancti Vincentii, vocant *Basilicam sancti Germani.*

Quæ Diplomata Monasterii sancti Germani *de pratis*, etsi non haberent notam hanc falsitatis; tamen esse deberent valde suspecta. Insigne enim istud Monasterium à Danis seu Normannis ter * fuit nono sæculo direptum, bis * igne crematum, incendioque * absumpti omnes Bibliothecæ libri. In illa autem vastatione incolumes servatas esse Monasterii veteres chartas, nec periisse cum reliqua librorum aliarumque re-

* *Sæc. 1. Ben. p. 255.*
* *Ibid. in vita S. Droct. num. 11.*
* *Ibid. num. 1. p. 252.*

rum ſupellectili vix credibile eſt. Tam ſæpe iterata incendia & direptiones timorem injiciunt, ne Diplomata, quotquot his difficillimis temporibus dicuntur eſſe antiquiora, ex eorum numero ſint, quæ * conficta fuiſſe dicis *ad ſupplendam veterum jacturam ex bellis incendiiſque.*

* *De re diplomat lib. 1. c. 7. §. 6. p. 29.*

Hactenus de primis ſpeciminibus Diplomatum Merovingicorum. Reliqua quæ ſive in libro quinto æri inciſa, ſive in ſexto exſcripta tantummodo, longè plura ſuperſunt, infinitum eſſet ſigillatim ad trutinam revocare. Venio ad illa, quæ Regibus ſecundæ ſtirpis tribuuntur. Pauca ex pluribus, ne longior ſim, expendam. At rurſum ne quis exiſtimet, ex induſtria à me ſeligi, quotquot maximè du-

bia videri possent; quæ proposuisti prima, atque Autographorum indubitatorum specimina esse voluisti, eodem, quo à te proposita sunt, ordine indiscriminatim ac sine delectu examino.

Caput IX.

De primo Carolinorum Autographorum specimine.

PRimum hoc specimen, quod in libro* quinto partim exhibes, & in sexto* integrum exscribis ex Autographo Dionysiano, Pipini Regis Præceptum est, quo Fulrado Abbati bona, urgente gravi morbo, sibi ab ipso commissa restituit, & de iisdem liberam statuendi facultatem concedit. Mi-

* *De re diplomat. p. 387.*
* *Ibid. pag. 495.*

rum fortasse multis videbitur, Fulradum ex Monacho Abbatem factum bona habuisse propria; quæ ipsius essent, non Monasterii; quæ periculoso morbo vexatus non Monachis suis relinqueret, sed regiæ fidei committeret; quæ convalescens sibi restitui postularet, simul cum facultate libere de iis statuendi: hæc, inquam, illis qui præscriptam veteribus Monachis vivendi normam non ignorant, mira sane videbuntur. Verum alia, eaque momenti majoris suppetunt, quæ tibi opponam.

Primò, Præceptum annulo suo sigillatum ipse Pipinus affirmat his verbis. * *Quam vero auctoritatem, ut firmior habeatur, vel pro tempore melius co servetur, subter eam firmavimus vel de annulo nostro sigillavimus.* In pressum

* *De re diplom. lib. 6. p. 496.*

ſum igitur regio Diplomati ſigillum inſpexi, annulum-ne Regis & imaginem referret. Hæſi, fateor, & obſtupui, cùm animadverti nihil aliud annulo repræſentari, præter effigiem Bacchi pampino redimiti. Neque vero res obſcura eſt, aut tibi latuit: ſic enim ipſe loqueris *: *in hoc Pipini Diplomate ſigillum non exhibet Regis effig em, ſed potius Bacchi, aut cujuſvis alterius pampino redimiti.* Hoc tu quidem prudenter & verè. At miror, ex re tam inſolenti nullam tibi de ipſo Diplomate, aut ſaltem de ſigillo Diplomati affixo, ſubortam fuiſſe ſuſpicionem.

* De re Diplom. lib. 5. p. 488.

Quippe non ignorabas, longè id abhorere à Francorum uſu & moribus. Videras Childerici Regis annulum aureum, qui integer etiamnum ſervatur in Bi-

bliotheca regia, & Childerici ipsius imaginem habet, non Bacchi aut alterius falsi numinis. Habueras ad manus, & æri incisa in quinto libro non pauca exhibuisti sigilla regia, quorum ne unum quidem est, si istud Pipini excipias, quod imaginem Regis non gerat. Adde quod nulla ratio idonea excogitari possit, cur annulo suo Bacchum pampino redimitum repræsentari voluerit Pipinus Rex, cui fortitudinis laudem & pietatis plurimi Scriptores tribuunt; nemo quem sciam, vinolentiæ & ebriositatis vitium exprobrat. Tam sapientem, tam religiosum Principem, non propriam imaginem, ut gentis & antecessorum Regum mos erat, annulo suo insculpsisse, sed effigiem Bacchi pampino redimiti quis sibi

persuadeat ? Quod si in sigillo fraudem commissam fateris, quid censendum de ipso Diplomate, cui sigillum adulterinum affixum est ?

Secundò, Diploma datum dicitur nono Kalendas Octobris anno XVII. regni Pipini ; cum tamen Pipinum ante diem 18. Septembris ejusdem anni è vivis excessisse certum sit. Pipinum obiisse anno regni sui decimo-septimo non refragaberis nuto : siquidem ipse expressè doces * *chartas, saltem* [illegible] *pini regni initia figere anno 752.* * addisque Pipinum *obiisse anno Christi 768.* Unde manifestè consequens est, Pipinum non implevisse annum regni decimum-septimum, numerando scilicet annos ejus ab eo die, quo in Regem à Francis electus, & à Bonifacio

* [illegible] plom. lib. 2. c. 26. p. 193.

* Ibid. pag. 194.

Moguntino Antiſtite unctus eſt. Cum ergo de anno diſſentire non poſſis, reſtat ut de menſe & die, quo Pipinus obiit, agamus.

Conſentiunt Hiſtorici ad unum * omnes. Pipini filios Carolum & Carlomannum non eſſe *à Procer bus ſuis & conſecratione ſacerdotum ſublimatos in regnum, illum Novioduni, hunc Sueſſionibus*, antequam Patrem ambo honorifice ſepeliſſent in Monaſterio S. Dionyſii. Probari autem poteſt Carolum Noviodu-ni & Carlomannum Sueſſionibus, regio Diademate ſolemniter coronatos eſſe ante diem decimum-octavum Septembris. Sic enim loquitur Anonymus Auctor, qui Nibilungi Comitis juſſu Fredegarii Chronicon continuavit. *His geſtis Rex Pipinus poſt paucos dies, ut dolor eſt ad di-*

* *Fredeg. continuator variique Francorum Annales.*

cendum, ultimum diem & vitam simul carivit, (hoc est finivit) *sepelieruntque eum prædicti Reges Carolus & Carlomannus filii ipsius Regis in Monasterio S. Dionysii Martyris, ut ipse voluit, cum magno honore; regnavitque annis viginti-quinque. His transactis prædicti Reges Carolus & Carlomannus, unusquisque cum Leudibus suis ad propriam sedem regni eorum venientes, instituto Placito initoque concilio cum Proceribus eorum,* MENSE SEPTEMBRI, DIE DOMINICO, XIV. KALENDAS OCTOBRIS, *Carolus ad Novionem Urbem, & Carlomannus ad Saxonis Civitatem* (sic Suessiones vocantur apud nonnullos Auctores) *pariter uno die à Proceribus eorum & consecratione Sacerdotum sublimati sunt in regno.*

Quo testimonio nihil clarius

& efficacius, meo quidem judicio, proferri potest. Scriptoris enim, quamvis Anonymi, auctoritas summa esse debet. Quippe scribebat jussu & sub oculis Nibilungi Comitis: qui Nibilungus æqualis erat Pipini & consanguineus, patremque habuit Childebrandum ipsius Pipini avunculum. Quæ autem jubente & procurante tali ac tanto Principe, de Pipini morte & sepultura, de Caroli & Carlomanni filiorum Pipini inauguratione scripta sunt, non vereor ut quis falsa vel minus accurata existimet. Nulli Historico credendum est, si huic hoc in loco fides abrogatur; præsertim cum rem adeo clare, annumque, mensem ac diem, tot & tam indubitatis characteribus expresserit.

Cùm ait Pipinum *regnasse annis viginti-quinque*, Pipini annos numerat, non, ut fieri solet in diplomatibus, ab eo tempore quo Pipinus primùm in conventu Suessionensi Regis nomine donatus est; sed ab illo, quo patre mortuo regnum cum potestate summa administrare cœpit. Quod facilè concedet, quisquis animadverterit apud Fredegarii Continuatores modum hunc loquendi fuisse familiarem, ut sub postremis Merovingis Regibus regnare *Majores-domûs* dicantur; quibus, ut verè Reges essent, nihil deerat nisi solum nomen regium. Nemini ergo mirum videatur, quod Anonymus Scriptor, quem citavi, ab obitu Caroli Martelli numeret annos regni Pipini.

Numerat autem annos vigin-

ti-quinque; qui calculus accuratissimus est. Neque enim audiendi sunt, qui Martellum anno Christi 741. obiisse scribunt. Vitam duxit Martellus ad annum Christi 743. Nam qui jubente Childebrando ipsius Martelli Germano Fredegarii Chronicon continuavit, Auctor coævus & omni exceptione major, diserte ait Carolum Martellum utraque Francorum Orientalium & Occidentalium regna rexisse viginti-quinque annis.

Atqui Franciam Occidentalem Martellus non rexit, antequam Chilpericum Danielem dictum haberet in sua potestate. Chilpericus autem non fuit Martello traditus ab Eudone Aquitaniæ Duce ante annum 718 Nam anno 717. commissa est pugna Vinciacensis, ut su-

perius demonstratum est. Post pugnam Vinciacensem Martellus Chilpericum & Raganfredum Majorem-domûs Parisios usque insecutus est, sed non est assecutus; quare ambobus omissis regressus est in Austrasiam suam, ubi Coloniæ recepit à Plectrude noverca thesauros patris sui. Anno verò sequente Chilpericus & Raganfredus, unà cum Eudone Aquitaniæ Duce, cujus auxilium imploraverant, rursum Martellum bello lacessere ausi sunt. Qui constanter & intrepide eis occurrens Eudonem fugavit; fugatumque usque Parisios, atque inde recedentem usque Aurelianum secutus, tandem coëgit, ut Chilpericum Regem sibi traderet. Quo recepto cœpit utrumque Francorum regnum

administrare, cum anni 718. pars non parva jam effluxisset.

Si ergo annis septingentis & octodecim addantur anni viginti-quinque, quibus Carolus utrumque regnum obtinuit, habebitur annus Christi 743. quo Martellus decessit XI. Kalendas Novembris. Ab undecimo Kalendas Novembris anni 743. usque ad mensem Septembrem anni 768. quo Pipinus obiit, anni sunt viginti-quinque unò minùs mense. Igitur cum scriptor Anonymus dixit Pipinum ab obitu patris *regnasse annis viginti-quinque*, accuratus fuit ejus calculus. Neque satis intelligo cur R. Pater Theodoricus Ruinart tuorum studiorum socius, in nova Gregorii Turonensis editione affirmet, *calculum hunc nullo pacto admitti posse.*

Neque ſolum in recenſendis Pipini annis accuratus fuit Scriptor Anonymus; ſed multò diligentior eſt in notando die, quo poſt Pipinum patrem ſepultum ſolemni pompa Reges ſalutati ſunt filii ejus Carolus Novioduni & Carlomannus Sueſſionibus. Quippe nullum characterem prætermiſit, quo diem hunc deſignare poſſet. Ait enim id peractum eſſe MENSE SEPTEMBRI, DIE DOMINICO, XIV. KALENDAS OCTOBRIS: quæ tria planè conſentiunt cum anno 768. Nam cùm Paſcha eo anno celebratum ſit 10. Aprilis, dies decima-quarta ante Kalendas Octobris, quæ eſt 18. Septembris, incidit in diem Dominicum.

Scio ex veteribus Francorum Annalibus ſolos Metenſes Scri-

ptori Anonymo hac in re consensisse: in reliquis Annalibus Caroli ac Carlomanni inaugurationem posterius rejici; in aliis quidem ad diemseptimum, in aliis autem ad diem octavum ante Idus Octobris. Verùm Scriptoris Anonymi testimonium plus habere ponderis Critici omnes fateantur necesse est; cùm ille non modo coævus fuerit, sed etiam scripserit jussu & sub oculis Principis viri è regia prosapia oriundi, qui iis quæ narrantur interfuerat; prætereaque cùm diem, de quo disceptatur, ternis characteribus ac notis, iisque inter se planè consentientibus designarit, quod à nullo alio est præstitum.

Sit ergo illa Epocha certissima Carolum & Carlomannum fratres, diebus aliquot post sepultum

pultum parentem suum Pipinum Regem solemniter inunctos fuisse, Carolum Novioduni, Carlomannum Suessionibus, *anno 768. mense Septembri, die Dominica, xiv. Kalendas Octobris;* atque adeo certum est Pipinum Regem, diem supremum obiisse ante illam diem, quæ est 18. Septembris. Si vero Pipinus ante diem 18. Septembris jam fuerat in sepulcro positus, quomodo potuit nono Kalendas Octobris, quæ dies est 23. Septembris, Diploma dare quod nunc examinamus?

Tertio. Quod si pergis contendere non esse audiendum Scriptorem Anonymum, fidemque potius deberi Annalium Scriptoribus; non tamen idcirco Diploma tuum ab omni suspicione falsi liberabis. Nam

inter Annalium Scriptores, alii Pipinum Regem mortuum dicunt VII. Kalendas Octobris, alii VIII. alii IX. Kalendas ejusdem Octobris; ita ut nullus omnino Scriptor antiquus Pipini mortem rejiciat post diem septimum ante Kalendas Octobris. Ex quo sequitur exhibitam à te Chartam, si modo vera est, cum data sit nono Kalendas Octobris anno XVII. regni Pipini, datam esse, vel ipso die quo Pipinus obiit, vel saltem uno aut altero die ante ejus mortem. Pipinus, ut recte nosti, non improvisa morte raptus est: sed morbo correptus apud Sanctonas, ad sepulcrum Divi Martini Turonensis deferri voluit: inde relatus Parisios, in Monasterio sancti Dionysii occubuit * ex aqua intercute. Quo ge-

* *Vita Caroli M. per Eginhardum.*

nere morbi qui laborant sensim deficiunt neque cum ingravescit morbus, ignorare solent proximam sibi mortem imminere.

Pipinus igitur, quando Chartam quam examinamus condidit, non modo erat morti proximus & positus in extremis; sed etiam ipse vicinæ mortis sibi conscius. Atqui tamen verba ejus non sunt Principis moribundi, sed florentis atque incolumis. Sic enim loquitur : *quia per Dei misericordiam regna terræ gubernare videmur, oportet ea in Dei nomine indesinenter perpendere: quatenus illorum nostra propitiatio tueatur, quorum nobis sollicitudo commissa esse videtur: qualiter & illis qui munimine indigent, defendamus atque recto tramite sustentemus. Nam in his præcipue honor noster clarescere*

debet........ Piget reliqua referre, quæ homini cum morte luctanti convenire nemo certe dixerit.

Illud accedit, quod hoc ipso in Diplomate periculum mortis, quod nuper Fulradus Abbas gravi morbo incurrerat, de suo nihil sollicitus Rex pluribus commemorat. Atqui verisimile non est Pipinum in extremis positum memoria morbi, quo Fulradus laboraverat, commotum ingemuisse: de suo eoque gravissimo ac præsente omnino tacuisse. Hæc sunt, quæ mihi videntur objici posse adversus primum Carolinorum Autographorum specimen: nunc de secundo nobis est agendum.

Caput X.

De secundo Autographorum Carolinorum specimine.

SECUNDUM Carolinorum Autographorum specimen exhibet * particulam Diplomatis dati à Carlomanno Rege, anno primo regni ejus, mense Martio, in Palatio Attiniaco. Solebas Diplomata, quorum partem aliquam æri incidi curaveras in libro quinto, exscripta in sexto integra repræsentare: istud tamen non repræsentasti. Quæ te causa deterruerit, quominus consuetum morem hoc in loco servares, non est mihi promptum divinare. Nec illa, quam exhibuisti, particula sufficit ad totius Diplomatis fidem probandam aut convellendam. Quare pa-

* *De re Diplomat. lib. 5. p. 384.*

tere, ut prætermisso Attiniacensi Carlomanni Diplomate, quod integrum in manus meas non venit, aliud expendam, quod pro eo substituisti in libro * sexto, datum pariter à Carlomanno Rege, anno primo regni ejus, & pariter à Maginario Referendario recognitum, mense Januario, in Palatio Salmunciaco.

* Pag. 496.

Primo possem hîc te tuis armis oppugnare. Quippe in libro quarto * doces *Salmonciacum Lauduno proximum Austrasiam regni partem fuisse*. Videtur autem Austrasianum regnum non ad Carlomannum, sed ad Carolum magnum ejus fratrem pertinuisse. Verum sive falsum sit Salmonciacum Austrasiani regni partem fuisse, isque error exciderit tibi, aut potius Patri Michaëli *Germain* studiorum tuo-

* Pag. 123.

rum ſocio, à quo magnam libri quarti partem compoſitam eſſe ais: ſive, quod malim dicere, etiam Auſtraſiani regni pars aliqua in portionem Carlomanni venerit: utut eſt, ultrò fateor Salmonciacum ad Carlomanni regnum pertinuiſſe. Id enim Hiſtorici paſſim teſtantur: neque inde Diploma vocari poteſt in ſuſpicionem. Sed neque ullum duco argumentum ex horrida ſtili barbarie; quæ cùm ætatem Caroli Magni non ſapiat, totum Diploma ſuſpectum facere poteſt. Ad Diplomatis ipſius contextum me converto.

Dubletus in libro tertio * operis ſui, mentionem facit cujuſdam Diplomatis Carlomanni, quod ſic incipit: *Carlomannus Rex Francorum vir inluſter*, & in fine ſic habet. *Signum † Carloman-*

* *Antiquitez & Rech. de l'Abbaye de S. Denis, p. 705.*

no gloriosissimo Rege. Maginarius recognovit. Data in mense Januario anno primo regni nostri. Actum Salmunciago Palatio publico in Dei nomine feliciter. Illius quod in libro sexto * produxisti, idem pariter initium est : *Carlomannus Rex Francorum vir inluster* : & hic pariter finis. *Signum * Carlomanno gloriosissimo Rege. Maginarius recognovi & subscripsi. Data in mense Januario anno primo regni nostri. Actum Salmunciago Palatio publico, in Dei nomine feliciter.*

* Pag. 496.

In utroque confirmat Carlomannus Rex veteres Monasterii Dionysiani immunitates. In utroque laudatur Pipini Regis Præceptum pro iisdem immunitatibus. Verum qui editum à Dubleto Diploma adornavit Falsarius, dum in eo properat

Dagoberti & Pipini Præcepta verbo ad verbum inſerere, fraudem ſuam prodidit incautus. Siquidem Præceptum Dagoberti quod exſcripſit, datum anno decimo regni ejus, manifeſtè adulterinum eſt.

Qui Diploma, prout à te editum eſt, reformavit; ſibi ut certius caveret ab ejuſmodi ſcopulo, laudavit quidem antecedentium Regum Diplomata, quæ volebat hoc ſuo Præcepto confirmari: ſed integra non exſcripſit; imò Dagobertinum, cujus falſitas vel imperitiſſimorum hominum oculos feriat, ne appellavit quidem. Tamen quiſquis tandem ille eſt, male providus *incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim.* Quippe pro adulterino Dagoberti Diplomate laudavit Childeberti *Placitum* il-

lud, quo consentiente Grimoaldo Majore-domûs, eximuntur omnibus teloniis mercatores, qui ad nundinas Dionysianas conveniunt : quod quidem Placitum pariter adulterinum est & spurium. Neque falsitatis nota obscura est & ambigua, sed ejusmodi quæ omnium oculos ferire possit.

In isto Placito scilicet Childebertus fratrem suum Regem, cui proxime in regnum successerat, vocat Clodocharium, quem Clodoveum hujus nominis tertium fuisse constat. Childeberti enim fratrem majorem natu & in regno antecessorem Historici omnes, nullo excepto, Clodoveum ubique nominant, nunquam Clotarium. Eundem ipse * Childebertus in Diplomate de villa Napsiniaco Clodoveum

* *De re Diplomat. lib. 6. pag. 476.*

nominat, non Clotarium. Idem bis facit *Chilpericus, qui Daniel dictus fuerat. Imo Childeberti frater ipse, de quo agitur, Clodoveum se, non Clotarium appellat in quinque diplomatibus, quæ * produxisti. Hæc quæ modo citavi Diplomata, etsi fortasse aliis non opponerem, utpote quæ in controversiam vocari possent; objici tamen tibi nihil vetat, præsertim cum hâc in re consentiant Historicis. Quis ergo in animum inducat unquam, Regis illius, quem Scriptores omnes, quem cætera Diplomata Clodoveum constanter appellant, illico immutatum fuisse nomen, eumque anno regni Childeberti decimo-sexto nominatum fuisse Clotarium, qui annis antecedentibus & subsequentibus constanter Clodoveus dictus est?

* *Ibid. p. 484. & 486.*

* *Ibid. lib. 5. p. 381. & lib. 6. p. 473. 474. & 475.*

Scilicet *binominis erat* Childeberti frater, idemque appellabatur ſimul & Clodoveus & Clotarius. Hæc reſponſio videtur omnino tibi ſatisfeciſſe * in notatione ad Diploma XXVIII. ſed vereor ne aliis eruditis viris non ſatisfaciat. Quem enimvero jam poſſis falſi convincere, ſi contra Hiſtoriæ fidem impunè cuique liceat plura eidem Regi affingere nomina, quoties opportunum videbitur ad excuſandas Falſariorum impoſturas?

Deire diplomat. lib. 6. p. 483.

Quod ſi ſpurium cenſebitur *Placitum* illud, in quo Childebertus oblitus nomen fratris & anteceſſoris ſui Regis, ipſum vocat Clotarium, qui Clodoveus nominabatur: quid dicendum de Carlomanni Præcepto, in quo idem Placitum laudatur?

CAPU

Caput XI.

De tertio Carolinorum Autographorum specimine.

Neque iſtud ſpecimen tertium, quod Caroli magni nomen præfert, integrum extat in libro ſexto: prima tantummodo & poſtrema ipſius verba * exſcripſiſti, ex Autographo Monaſterii ſancti Germani: reliquum Diploma invidiſti nobis, aut parum dignum publica luce judicaſti.

* *De re Diplom. lib. 5. p. 386.*

Quanquam vel in his paucis verbis, quæ ſunt à te relata, nonnulla occurrunt quæ ſuſpicionem aliquam movere poſſent: quales ſunt hæ voces, Regalis Serenitas, ævo Caroli magni non ſatis congruentes, aliaque ejuſmodi: malim tamen,

omisso hoc Diplomate, aliud examinare, cui in collectione, quam sextus operis tui liber continet, primum inter Caroli magni Chartas locum dedisti.

* De re Diplom. lib. 6. p. 497.

Præcepto isto * Carolus *varia Monasterii Dionysiani bona sub Pipino Rege recuperata, eidem Monasterio confirmat.* Præceptum integrum retulisti: Ego solas temporis ac loci notas, quæ in eo appositæ sunt, expendam. Datum dicitur *sexto Kalendas Julias anno septimo & secundo Regni Caroli:* (septimo scilicet regni in Francia, & secundo regni in Italia) *actumque Carisiago Palacio publico in Dei nomine feliciter.*

Annus septimus regni Caroli in Francia, qui & secundus est Regni in Italia, concurrit cum anno Christi 775. Dies autem sextus ante Kalendas Julias est

vigesimus sextus mensis Junii. Videndum igitur, an Carolus anno Christi 775. extiterit Carisiaci die 26. Junii. Ipsum jam tunc inde profectum fuisse multis argumentis potest ostendi.

Ac primo quidem fateor, Carolum sub finem anni 774. ex Italia reducem Carisiacum se recepisse, ipsumque ibi diem natalem Domini transegisse, ac Pascha sequens quod die 26. Martii celebratum est. At inde malè concludas ipsum ibidem substitisse ad finem usque Junii. Contrarium suadet Caroli indoles omnis moræ impatiens, Historicorum hujus temporis testimonium, & rerum hoc anno gestarum series.

Dum bellum Carolus anno præcedenti in Italia gereret, * Saxones opportunam occasio-

* *Eginhardi Annales ad annum Christi 774.*

nem nacti contiguos sibi Hassorum terminos ferro & igne depopulati sunt. Reversus ex Italia Rex, ingruente jam hyeme, non potuit ipse in Saxoniam contendere; misit tamen aliquot Francorum turmas, quæ Barbarorum impetum reprimerent. Interea * *cum in villa Carisiaco hiemaret, consilium iniit, ut perfidam ac fœdifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, & eo usque perseveraret, dum aut victi Christianæ religioni subjicerentur, aut omnino tollerentur.* Tali inito consilio, & expeditione per hyemem præparata, Carolum ad finem usque Junii Carisiaci desidem restitisse, qui in animum inducat, ille profectò parum novit vividum ac promptum Caroli ingenium.

* *Ibid. ad annum 775.*

Anno 773. cum Legatus A-

driani Pontificis ad ipſum in Theodonis-villa degentem perveniſſet, Rexque bellum contra Longobardos pro defenſione Romanorum decreviſſet, nulla interjecta mora collecto exercitu profectus eſt in Italiam. Hoc ipſo anno 775. cum ipſi ex Saxonia domum revertenti nunciatum eſſet, Rotgaudum Longobardum, quem Forojulienſibus Ducem dederat, in Italia res novas moliri, & jam complures ad eum civitates defeciſſe : ad eos motus comprimendos ſibi feſtinandum judicavit, & ſtrenuiſſimum quemque ſuorum ſecum ducens, raptim in Italiam profectus eſt ; rebuſque ibi conſtitutis, eadem qua venerat velocitate eſt reverſus.

Quis ergo credat hujus indolis Principem, cum Saxones bel-

lo prosequi animo destinasset, atque expeditionem per otium toto hyemis tempore parasset, Carisiaci substitisse ad finem usque Junii? Quis non dicat potius ipsum, ubi primum licuit, copias eduxisse, hoc est mense Maio, pro vetere Francorum more?

Et vero rem ita esse expresse testantur antiqui Scriptores. Cùm enim vellet in Saxoniam Carolus cum totis regni viribus proficisci, indixit generalem Francorum conventum apud * Duriam villam, quæ inter Aquisgranum & Coloniam Agrippinam sita est: ibique congregato exercitu, Rhenoque transmisso Saxoniam petiit. Conventum illum Francorum in villa Duria, seu Dura, ut alii legunt, habitum esse mense Maio do-

* Duren.

cent apud Andræam du Chesne Annales Francorum breves his verbis. *Anno* * *775. Maii campus ad Dura: & Carolus Rex cum Francorum exercitu in Saxoniam.* Idem legitur in Chronico * Monasterii S. Galli: nec ullus omnino Scriptor, quem viderim, tradit hoc anno Francorum exercitum tardius mense Maio à Carolo esse congregatum.

* *Andr. du Chesne, tom. 2. p. 4.*

* *Andr. du Chesne tom. 3. p. 467.*

Ne vero quis existimet Carolum ex conventu Duriensi Carisiacum esse regressum; Historici omnes ex illo ipso conventu rectà in Saxoniam profectum esse Carolum affirmant. *Rex habuit Synodum ad Duriam,* ait * Anonymus Auctor in Annalibus Francorum auctioribus, *& inde pergens in Saxoniam Sigeburgum cepit* . . . . . Hoc ipsum atque iisdem pene verbis legitur * in

* *Andr. du Chesne tom. 2. p. 14.*

* *Ibid. p. 29.*

rerum Francicarum Annalibus ex Bibliotheca Thuana editis: in Caroli magni * vita incerti Auctoris: in alia ejusdem vita * per Monachum Engolismensem: apud Poëtam * Saxonicum: in Annalibus * Bertinianis, & * Metensibus. Porrò illi omnes Auctores uno ore docent Carolum ex villa Duria, ubi Francorum comitia habuit, in Saxoniam esse profectum. Si ergo illa comitia habita sunt mense Maio, ut jam probatum est ex veteribus Francorum Annalibus & Chronico Monasterii S. Galli, sequitur Carolum non fuisse Carisiaci vigesima-sexta die Junii: atque adeo censeri debet falsum Diploma, quod dicitur à Carolo actum Carisiaci hoc anno, sexto Kalendas Julias.

* *Ibid. p. 51.*
* *Ibid. p. 71.*
* *Ibid. pag. 140.*
* *Andr. du Chesne tom. 3. p. 155.*
* *Ibid. pag. 284.*

Neque dicas in Auctoribus à

me citatis habita in villa Duria comitia vocari quidem campum Maii : at non inde consequens esse , quod Maio mense celebrata sint. Scio ejusmodi comitia interdum fuisse in alium mensem dilata : sed id nunquam factum temere & sine causa. Nulla autem hic causa est, cur dicantur rejecta ad usque mensem Julium : imo rerum hoc anno gestarum multitudo non sinit, ut dicamus bellum Saxonicum inclinato jam anno esse inchoatum. Quod fiet manifestum ex his, quæ Eginhardus Auctor coævus à Carolo in Saxonia hoc anno gesta esse narrat.

« Cum Rex in villa Carisiaco
« hyemaret, * ait ille, consilium
« iniit, ut perfidam ac fœdifragam
« Saxonum gentem bello aggre-

* *Eginhardi Ann. ad an. Christi 775.*

„ deretur, & eo usque perseve-
„ raret, dum aut victi Christianæ
„ Religioni, subjicerentur, aut
„ omnino tollerentur. Habitoque
„ apud Duriam villam generali
„ conventu, Rheno quoque trans-
„ misso, cum totis Regni viribus
„ Saxoniam petiit: & primo
„ statim impetu Sigiburgum ar-
„ cem, in qua Saxonum præsidium
„ erat, pugnando cœpit. Eresbur-
„ gum aliud castrum à Saxonibus
„ destructum munivit, & in eo
„ Francorum præsidium posuit.
„ Inde ad Wisiram fluvium ve-
„ niens, in eo loco qui *Brunnes-*
„ *berg* vocatur, congregatam Sa-
„ xonum multitudinem offendit,
„ quæ eum à transitu fluminis ar-
„ cere conabatur, sed frustra.
„ Nam in prima congressione pul-
„ si fugatique sunt, & magnus
„ eorum numerus ibidem inter-

fectus est. Et Rex amne traje- «
cto cum parte exercitus ad O- «
bacrum fluvium contendit, ubi «
ei Hesso unus ex primoribus Sa- «
xonum, cum omnibus Ostfalis «
(*Austreleudos* alii Scriptores ap-
pellant) occurrens, & obsides «
quos Rex imperaverat dedit, & «
Sacramentum fidelitatis juravit. «
Inde reversus cum in pagum, «
qui Buchi vocatur, pervenisset, «
Angrarii cum suis Primoribus «
ei occurrerunt; & sicut Ostfali, «
juxta quod Rex imperaverat, «
obsides dederunt, & sacramen- «
ta juraverunt. Interea pars exer- «
citus quam ad Wisiram dimi- «
sit in loco, qui *Hudbeki* voca- «
tur, castris positis, incaute agens, «
Saxonum fraude circumventa «
atque decepta est Nam cum «
pabulatores Francorum circa «
nonam diei horam reverteren- «

» tur in caſtra, Saxones eis, quaſi
» & ipſi ſocii eſſent eorum, ſeſe
» miſcuerunt, ac ſic Francorum
» caſtra ingreſſi ſunt: dormienteſ-
» que agreſſi, non modicam in-
» cautæ multitudinis cædem fe-
» ciſſe dicuntur. Sed vigilantium
» ac viriliter reſiſtentium virtute
» compulſi, caſtris exceſſerunt;
» & ex pacto, quod inter eos ex
» tali neceſſitate fieri poterat, diſ-
» ceſſerunt. Quod cum Regi fuiſ-
» ſet allatum, quanta potuit cele-
» ritate accurrens, fugientium
» terga inſecutus, magnam ex iis
» multitudinem proſtravit; &
» tum demum Weſtfalorum ob-
» ſidibus acceptis, ad hyeman-
» dum in Franciam revertitur.
» Regi domum revertenti nuncia-
» tur Rotgaudum Langobardum,
» quem Forojulienſibus Ducem
» dederat, in Italia res novas mo-

liri, & jam complures ad eum "
civitates defeciſſe. Ad quos mo- "
tus comprimendos, cum ſibi fe- "
ſtinandum judicaret, ſtrenuiſſi- "
mum quemque ſuorum ſecum "
ducens raptim in Italiam pro- "
ficiſcitur......... Hactenus Eginhardi Annales, cui cæteri eorumdem temporum Scriptores conſentiunt.

Cùm ergo hoc uno anno Carolus Rex tot ac tanta geſſerit; caſtrum aliud vi ceperit, aliud à Saxonibus dirutum reſtituerit, muniveritque; Rhenum & Wiſurgim ingentes fluvios cum exercitu trajecerit; Saxones gemino aut etiam terno prælio victos fugaverit, peragratiſque vaſtis provinciis ad Obacrum uſque fluvium penetrarit; ad deditionem compulerit Oſtfalos, Angrarios, Weſtfalos; &

tandiu in Saxonia ſubſtiterit, donec imperatos obſides recepiſſet, & domitarum gentium Primores fidem ſuam apud ipſum ſacramento obligaſſent: cùm hæc tot ac tanta hoc anno in Saxonia à Carolo patrata eſſe conſtet; certumque ſit præterea ipſum è Saxonia reducem in Franciam, hoc eodem anno expeditionem alteram in Italiam ſuſcepiſſe: hæc, inquam, cum ſint in confeſſo apud omnes, nemo ſibi perſuaſerit contra Annalium fidem Carolum, qui per hyemen agens Cariſiaci bellum Saxonicum decreverat & præparaverat, ibidem deſidem reſtitiſſe ad finem Junii; & haberi ſolita menſe Maio Francorum comitia ad Julium uſque diſtuliſſe.

Rem verbo abſolvam. Vetu-

ſtiſſimi Annales cum tradunt Carolum ipſo menſe Maio anni 775. generalem habuiſſe Francorum conventum in villa Duria, & inde cum exercitu in Saxoniam perrexiſſe, rem narrant moribus Caroli conſentaneam, & cùm tota rerum hoc anno geſtarum ſerie aptiſſime congruentem. Contrà quod legitur in tuo Diplomate, Carolum reſtitiſſe Cariſiaci ad finem uſque Junii, nec ſatis accommodatum eſt ad Caroli magni indolem omnis moræ impatientem, & videtur contrahere nimis expeditionem Saxonicam atque in anguſtum concludere. Quare cum neceſſe ſit, vel Annalibus errorem incutere, vel Diplomati falſitatem: ne ægrè feras, velim, quod plus ego huic quam illis diffidam. Quod ſi tamen ne-

gas potiorem eſſe debere Annalium cauſam: fatere ſaltem incertum eſſe, utris ſit credendum; atque adeo non poſſe editum à te Diploma haberi pro indubitato.

Caput XII.

De quarto, quinto, & ſexto, & aliis pluribus Autographorum Carolinorum ſpeciminibus.

* *De re diplom. lib. 5. p. 389. lib. 6. p. 501.*

QUARTUM ſpecimen * Præceptum eſt Caroli Magni confirmantis *commutationem quorumdam prædiorum initam inter Fulradum Abbatem Dionyſianum & Euſemiam Abbatiſſam Parthenonis S. Petri in urbe Mettenſi.* Horrida ſtili barbaries & menda, quibus Præceptum illud ſcatet, non ſapiunt Caroli magni

ætatem, qua litteræ & bonæ artes reviviſcere ac florere cœperant. Præterea in Diplomate annus tantum & menſis, non dies, quo illud factum eſt, exprimitur hoc modo : *data in menſe Octobri anno* XIIII. *&* VIII. *regni noſtri. Actum Hariſtallio palacio publico in Dei nomine feliciter.* Diem tamen in ejuſmodi chartis omitti, nec leges, nec conſuetudo Francorum ſinebant.

Specimen quintum *Charta eſt qua Ghiſela Caroli magni ſoror Monaſterio Dionyſiano prædia donat non pauca. Charta hæc dicitur data Aquiſgrani Idibus Junii, anno regni Caroli magni XXXI. & XXVI. & ſubſcripta ab ipſa Ghiſela, & tribus Caroli magni filiis Carolo, Pipino & Ludovico. Hos autem omnes Aquiſgrani hoc anno ad-

* *De re diplomat. lib. 5. p. 389. lib. 6. p. 603.*

fuisse Idibus Junii non facilè crediderim. Ad Ghiselam quod attinet, in Monasterio, in quo à puerilibus annis vixerat, ad mortem usque perseverasse Eginhardus horum temporum Scriptor est testis. *Erat ei* (Carolo) ait ille, * *unica soror nomine Gisla à puellaribus annis religiosæ conversationi mancipata; quam similiter ut matrem magna pietate coluit: quæ etiam paucis ante obitum illius annis in eo, quo conversata est, Monasterio decessit.* Jam vero quod spectat ad filios Caroli magni; Carolum natu maximum tunc Aquisgrani cum patre fuisse non nego: sed constat Pipinum & Ludovicum paulò ante missos, illum in Italiam, hunc in Hispaniam nondum autem reversos fuisse satis indicant Historici veteres, dum filium unum natu

* *Eginardus in vita Caroli magni.*

maximum Carolo magno ſocium adjungunt expeditionum, quæ hoc & ſequenti anno ſuſceptæ ſunt.

Specimen ſextum * convinceretur falſi, ſi probari poſſet, quod apud nonnullos legitur, Carolum magnum ſalutatum fuiſſe Italiæ Regem ineunte Maio. Datum enim Diploma dicitur VII. *Idus Maii, anno imperii Caroli XIII. regni in Francia XLV. regni in Italia XXXIX.* Atqui Carolus anno Imperii ſui decimotertio VII. Idus Maii non agebat annum regni in Italia trigeſimum nonum, ſed quadrageſimum inchoaverat, ſi modo verum eſt ipſis Kalendis Maii Italicum regnum ab eo eſſe ſuſceptum. At cum iſtud non ſit certum, nullum hinc argumentum adverſum te deductum velim.

* *De re diplomatica Lib. 9. p. 391.*

Verum tria ſpecimina, quæ modo propoſui, aliaque nonnulla Caroli magni Diplomata; quæ in libro quinto & ſexto operis tui collegiſti, inter ſe componam. Fors erit ut compoſita non conſentiant; atque ita aliquorum ſaltem falſitas fiat manifeſta.

Tres ſunt Epochæ, quibus anni Caroli magni numerari ſolent. Prima regni in Francia, ſecunda regni in Italia, tertia Imperii ejus annos deſignat. Decem autem produxiſti Diplomata, quæ plures ex illis Epochas ſimul habent. At in his Diplomatibus Epocha prima ſecundam antecedit annis modo quatuor, modo quinque, modo ſex. Atque hæc diverſitas nullatenus rejici poteſt in Librariorum amanuenſium negligen-

tiam: quippe Diplomata singula, ut semper mones, exscripsisti ex ipsis Autographis.

Primum * datum sexto Kalendas Julias, conjungit annum septimum regni in Francia cum anno secundo regni in Italia.

* *De re diplom. Lib. 6. p. 497.*

Secundum * datum mense Octobri, conjungit annum undecimum regni in Francia cum anno quinto regni in Italia.

* *Ibid. lib. 6. p. 500.*

Tertium * datum eodem mense, componit annum decimum-quartum regni in Francia cum octavo regni in Italia.

* *Lib. 5. pag. 389. lib. 6. p. 501.*

In quarto * dato 13. Kalendas Augusti, concurrit annus vigesimus-sextus regni in Francia cum vigesimo regni in Italia.

* *Lib. 6. p. 503.*

In quinto * dato pridie Aprilis, componuntur annus vigesimus-nonus regni in Francia & vigesimus-quintus regni in Italia.

* *Lib. 6. pag. 504.*

*Lib. 5. pag. 389 lib. 6. pag. 503.

Sextum * datum Idibus Junii, habet annum trigeſimum-primum regni in Francia, & vigeſimum-ſextum regni in Italia.

*Lib. 5. pag. 390.

Septimum * datum 14. Kalendas Januarias, habet annum Imperii tertium, regni in Francia trigeſimum-ſextum, regni in Italia trigeſimum.

*Lib. 6. pag. 512.

In octavo * dato die 8. Martii, notatur annus Imperii duodecimus, regni in Francia quadrageſimus-quartus, regni in Italia trigeſimus-octavus.

*Lib. 5. pag. 391. lib. 6. pag. 512.

In duobus * poſtremis datis VII. Idus Maii notatur annus Imperii decimus-tertius, regni in Francia quadrageſimus-quintus, regni in Italia trigeſimus-nonus.

Porrò vides Epocham regni Italici in quinto Diplomate di-

ſtare ab Epocha regni Francici quatuor tantùm annis ; quinque autem in Diplomatibus primo & ſexto ; in reliquis omnibus eſſe ſex annis poſteriorem. Quomodo hæc ſtare poſſint, tuum eſt explicare.

Scio regnorum Francici & Italici habenas non eodem menſe à Carolo eſſe ſuſceptas ; atque adeo fieri poſſe, ut in Diplomatibus, quæ diverſis menſibus data ſunt Epocha una notetur modo quinque, modo ſex annis altera poſterior. Quippe Carolus inunctus eſt Francorum Rex menſe Septembri ; vel, ſi voles, Octobri anni 768. Longobardorum vero Rex ſalutatus eſt, expugnata Papia captoque Deſiderio paulò poſt feſtum Paſchatis anni 774. menſe Maio ineunte, ut plerique putant. Igitur

nondum effluxerat regni ejus in Francia annus sextus, cum primus regni in Italia numerari cœpit. At ubi ventum est ad ejusdem anni mensem sive Septembrem, sive Octobrem, incepit annus regni in Francia septimus, cum adhuc septem vel octo menses superessent anni primi regni in Italia. Quare factum est ut annus primus regni Italici mensibus aliis cum sexto, aliis cum septimo regni Francici anno conjungi debeat: sic tu ex his Diplomatibus, quæ inter se pugnare videntur, nonnulla, at non omnia, conciliare potes.

1. Non potest hoc pacto defendi quintum ex his, quæ supra appellata sunt, datum pridie Aprilis, anno 29. regni in Francia & 25. regni in Italia.

2. Nec quartum hac via potest

test à nota falsitatis eximi, datum 13. Kalendas Augusti anno 26. regni in Francia & 20. regni in Italia.

3. De duobus postremis, quæ data VII. Idus Maii, habent annum 45. regni in Francia, & 39. regni in Italia, nihil hîc addo; quia non omnino exploratum est, an Carolus ante hunc Maii diem Longobardorum Rex fuerit appellatus. Verum & hæc & alia singula multiplici ex capite suspecta reddere non esset difficile. Satis est, si saltem quartum & quintum cogaris inter spuria amandare. Nam cum hæc sint reliquis simillima, & à te ex ipsis Autographis exhibita; si semel falsi convicta sunt, reliquorum, quæ nullo certo signo ab ipsis possunt secerni, fides vacillet necesse est.

Non hîc ego plura de Merovingicis & Carolinis Diplomatibus congero: sed vide, quid ex his quæ hactenus dicta sunt, inferam.

Conclusio hujus Disceptationis.

EXAMINATA sunt hactenus Diplomata plurima ex iis, quæ tu in libris de re Diplomatica pro certis & indubitatis haberi jubes. Neque est quod conquueraris, me iis omissis, quorum veritas esset in aperto, quædam ex multis obscuriora selegisse, quæ impugnarem. Illa ipsa expendi, quæ pluris cæteris æstimare visus es, quæ reliquorum specimina esse voluisti, quæ non exscripsisti modo sed etiam æreis in tabulis incisa repræsentasti. Atque ea sine ullo delectu,

eodem quo apud te occurrunt ordine, à me ſingula ſunt excuſſa.

Potueram fortaſſe hoc me labore eximere, & exhibitorum à te Diplomatum fidem, vel una hac obſervatione infirmare; quod cum in tanta ſpuriarum chartarum multitudine nulla debeat pro certa & indubitata venditari, cujus veritas non fuerit firmiſſimis argumentis demonſtrata; tu tamen ſpecimina tua veris & indubitatis Autographis annumeres ſine ulla probatione. Licebat ſane in id unum inſiſtere, iſtudque urgere acrius, ac poſcere, ut inſtrumenta vetera, quæ certa dicis & indubitata, ipſe ab omni ſuſpicione falſi vindicares. Licebat ſingula incertis accenſere, donec quibus tandem indiciis iſtorum

veritas ſit à te certò deprehenſa, nos edocuiſſes. Non eſt negantis, ſed ajentis probare, quod certum eſſe affirmat. Tuum ergo fuit declarare, quibus ſignis ſeſe proderet Diplomatum tuorum genuina ſynceritas; non meum argumenta falſi adverſus iſta conquirere.

Tamen, ne ſummo jure tecum agere, cauſæque meæ non ſatis confidere viderer; probandi onus, quod ipſe, cui iucumbebat, abjeceras, ultro in me ſuſcepi. Et quia ſpecimina omnia à te producta ad trutinam ſingillatim revocare longioris erat operæ; ex Merovingicis Caroliniſque ſelegi ſine ulla affectatione quindecim illa quæ prima collocaſti: atque oſtendi ne unum quidem horum reperiri, quod non debeat inter falſa, vel

ſaltem inter ſuſpecta amandari. Quod cum ſit abunde, ut puto, præſtitum; illud nunc reſtat, ut quid inde poſſit induci, definiamus.

Etſi adulterina ſunt vel dubia vetera Eccleſiarum Monaſteriorumque Diplomata, jura tamen ipſorum & privilegia longa temporis poſſeſſione firmata (ut hîc repetam quod jam ſuperius dictum eſt) manere debent inviolata & inconcuſſa. Neque enim, ſi Clerici vel Monachi inſtrumenta interdum confinxiſſe deprehenduntur, facilè credendum eſt, ab iis eſſe conficta, ut in aliena bona injuſtè involarent. Crediderim potiùs iniquitate temporum factum eſſe, ut improborum hominum factione aut barbarorum incurſione dirutis fundituſque everſis Mo-

nasteriis Ecclesiisque, Clerici postmodum & Monachi ex vetustis aliquot codicibus tabulisque censualibus intelligentes, quid sui fuisset juris, quid alieni, falsò sibi persuaserint, posse sine crimine amissa restitui instrumenta, sive ut sua adversus injustos invasores tuerentur, sive ut injustè rapta ab iniquis possessoribus repeterent. Qua in re etsi illos minime excusatos velim, cùm crimen falsi semper turpe sit & probo viro indignum: nihilominus contendo, quemadmodum illorum jura Diplomatibus spuriis non possunt adjuvari, ita nec posse inde ullatenus infringi.

Verum hæc instrumentorum veterum falsitas quanquam antiquis Ecclesiarum Monasteriorumque juribus, meo quidem

judicio, nihil quicquam officit, Artem tamen à te recèns inſtitutam omnino & funditus evertit. Quaſcumque enim vera Diplomatā ſecernendi à falſis conditiones ac regulas poſuiſti, nituntur omnes productorum in Libris de re Diplomatica Autographorum fide; quæ ſi labat, Artis ipſius præcepta incerta ſint, atque adeo Ars ipſa ruat neceſſe eſt. Quis enim chartam aliquam veram ac certam pronunciare audeat, ſi ignoretur quæ verarum chartarum forma fuerit, quis character? Quis autem characterem hunc noſſe ſe glorietur, ſi falſa ſunt illa ipſa ſpecimina, ex quibus characterem hunc hauſeras?

Age ergo, ſi quis proferentem te vetus aliquod inſtrumentum interroget ac requirat, qui-

busnam argumentis hujus veritatem manifestam facias; quid tandem es responsurus? Videlicet instrumentum scriptum esse in cortice vel papyro Ægyptiaca, certo quodam & barbaro scripturæ genere; habere sigillum regium, Referendarii nomen, subscriptiones varias, cæteraque eodem ritu apposita, quem tu tempori cujus notam præ se fert convenire definisti. At ne una quidem ex his conditionibus deerat speciminibus, quæ in quinti tui libri tabulis repræsentasti: & tamen illa ipsa specimina, ut reor, pleraque falsi aut convicta sunt, aut saltem in suspicionem adducta.

Quare illud restat, ut vel fatearis non valere institutam à te Artem secernendi antiqua Diplomata vera à falsis, vel ea re-

fellas, quæ hîc ego breviter demonſtrare conatus ſum, noviſque argumentis tuorum adſtruatur Autographorum fides. Quod ſi feceris, non me ſuſcepti laboris pœnitebit, cujus is fuerit ſaltem fructus, ut objectis novis difficultatibus accenderim te ad manum ultimam difficillimo ac pererudito operi admovendam. Quia autem ad ſcribendum me ſolum veritatis penitius cognoſcendæ ſtudium impulit, illam ubi diſſipata qua involvitur caligine retexeris, lubenter me & toto pectore amplexurum eſſe confidas.

APPENDIX

Complectens varia Diplomatum Merovingicorum & Carolinorum specimina.

QUÆ examinata sunt in secunda parte Diplomatum specimina: hæc ipsa integra exhibemus, qualia à te in libris de re Diplomatica repræsentantur: nec alio exhibemus ordine, quam quo fuerunt examinata. Mens erat adnotationes aliquas adjungere, quibus breviter indicaretur, quod in unoquoque Diplomate fuit à nobis reprehensum: sed istud lector satis intelliget ex secunda parte. Grandioribus tamen litteris excudi curavimus voces

illas, ex quibus Diplomata vel probantur falſa vel ſuſpecta redduntur.

Diplomatum Merovingicorum primum ſpecimen.

*Dagoberti * Regis præceptum, quo Monaſterio Dionyſiano villam Iticinoſcoam concedit.*

* *De re diplomat. lib. 5. tab. 16. & p. 374. lib. 6. p. 465. Ex Autographo corticeo.] An. 632.*

DAGOBERCTHUS Rex Francorum viris inluſtribus Wandelbertho Duci, Raganrico Domeſtico & omnibus Agentibus præſentibus & futuris ..... promerere æterna, vel de caduca ſubſtantia erogandum locrari gaudia ſempiterna. Igitur nos reipſa conſiderantes, prout in æternum vel alequantolum mereamur juſtorum eſſe conſortes, villa cognomenante

Iticinoſcoam *, in pago Pariſiaco, qui fuit Landerico & Ga... nerico germanis & addicionebus.... è vel meritum ad Baſileca Domni Diunenſi Marthe-ris pecoliaris Patroni noſtri, ubi ipſe præcioſus Domnus in corpore requieſcere vedetur.... dem devoti ſumus per tempora bona propitiante Domino impartire præſencialiter plena devotione viſi fuemus conceſſiſſe. Jubentes etenim vol.. reis, ſilvis, pratis, paſcuis, aquarumve decurſibus à die p..... qualiter ab ipſis.... dominetur, vel ad fiſco noſtro præſente nunc tempore in Dei nomine poſſedetur ex indulgentia noſtra ad ipſa ſancta Baſileca conceſſa quæ.... à dicione percipiant ſpecialius..... ti pauperis inibi conſiſtentebus pro regni ſtabiletate vel remedium

* *Eſcoüen.*

dium animæ noſtræ abſque ullius in poſtmodum refragatione temporebus debeat profecere, & ut fiat ut dum nos ad Clero vel pauperes ac ipſo ſancto loco conſiſtente... au.... ſ.... a vel in aliquantolum.... omne.... incommoda generetur, & ut.... tam au.... tempora inviolabolem capiat firmetatem, manus noſtræ ſubſcripitonebus infra....

DAGOBERCTHUS Rex ſubſ.

Dado optolit.

Datum dies quindecem, anno decimo regni noſtri in Dei.... Clipiacco.

Diplomatum Merovingicorum ſecundum ſpecimen.

* De re diplom. lib. 5. tab. 17. lib. 6. p. 466.

*Cledovei * Junioris Diploma quo Monaſterii ſancti Dionyſii libertatem confirmat.*

Ex Autographo Corticeo. Anno 653.

CHLODOVIUS Rex Franc.... V. Inl. OPORTIT CLIMENCIAE principali inter cæteras peticiones illud quæ pro ſalute adſcribetur, vel pro timore divini nomenis poſtolatur, placabeli audito ſuſcipere, & ad effectum perducere, ut fiat in mercide conjunccio, dum pro quiete ſervorum Dei vel congruencia locis venerabilebus impertitur peticio. Igetur dum & omnipotens pater, qui dixit de tenebris lumen ſplendiſcere, per Incarnacionis Miſtirium unigeniti

fili ſui Domini noſtri JeſuChriſti, vel inluſtrationem Spiritusſancti inluxit in corda Sanctorum, pro cujus amore & deſiderio inter citeros glorioſos triumphos Marterum Beatus Dioniſius Leutherius & Ruſtecus meruerunt palmam victuriae, & coronam percipere glorioſam, ubi per multa tempora in eorum Baſileca, in qua requieſcere videntur, non minema miracola Chriſtus per ipſos videtur operare, in quo eciam loco genetores noſtri Domnus Dagoberthus & Domna Nanthechildis videntur requieſcere, ut per interceſſionem ſanctorum illorum in cælesti regno cum omnibus Sanctis mereant particepari, & vitam æternam percipere. Et quia ab ipſis principebus vel à citeris priſcis regebus vel ætiam

à Deo timentebus Christianis hominebus ipse sanctus locus in rebus propter amorem Dei & vita æterna videtur esse ditatus, & nostra integra devocio & peticio fuit, ut Apostolicus vir Landericus Parisiaci Æcclesiae Episcopus privilegio ad ipsum sanctum locum Abbati vel fratrebus ibidem consistentebus facere, vel confirmare pro quiite futura deberit, quo facilius Congregationi ipsi licerit pro stabilitate regni nostri ad limena Marterum ipsorum jugeter exorare; hoc ipse Pontefex cum suis quoepiscopis juxta peticionem devotionis nostræ plenissemam voluntatem præstitisse vel confirmasse dinuscetur. Nos ergo per hanc seriem autoretatis nostræ, juxta quod per supradictum privile-

gium à Ponteficebus factum & preſtetum eſt, pro reverentia ipſorum Marterum, vel noſtra confirmanda mercide, per hanc autoretatem jobemus, ut ſi qua ad ipſum locum ſanctum in villabus, mancipiis, vel quibuſcumque rebus adque corporebus, à priſcis Principebus ſeo genetorebus noſtris, vel a Deum timentebus hominebus propter amorem Dei ibidem delegatum, aut deinceps fuerit addetum; dum ex munificentia parentum noſtrorum (ut dixemus) ipſe ſanctus locus videtur eſſe ditatus, nullus Epiſcoporum, nec præſentes, nequi futuri fuerint ſucceſſores, aut eorum ordenatores, vel qualibet perſona, poſſit quoquo ordene de loco ipſo alequid auferre, aut alequa poteſtate ſibi in ipſo Monaſth....

vel alequid quase per commutacionis titolum, absque voluntate ipsius congregacionis, vel nostrum permissum minoere, aut calices vel croces, seo indumenta altaris vel sacros codeces, argentum aurumve, vel qualemcumque speciem de quod ibidem conlatum fuerit aut erit, auferre aut menoare, vel ad civetate deferre non debeat nec præsumat: sed liciat ipsi sanctæ congreg.... per rictam delegationem conlatum est, perpetem possedere, & pro stabiletate regni nostri jugeter exorare: quia nos pro Dei amore vel pro reverencia ipsorum sanctorum Marterum & adhepiscenda vita æterna hunc beneficium ad locum ipsum sanctum cum concilio Pontefecum, & inlustrium virorum nostrorum procerum

gratiſſemo anemo & integra voluntate viſe fuemus præſtetiſſe, eo ſcilecit ordene, ut ſicut tempore Domni genetoris noſtri ibidem pſallencius per turmas fuit inſtetutus, vel ſicut ad Monaſthirium ſancti Mauricii Agaunis die noctoque tenetur, ita in loco ipſo celebretur. Quam viro autoretate decrivemus Chriſtum in omnebus nobis ſuffragantem ut firmior habeatur, & per tempora conſervitur, ſubſcripcionebus manus noſtræ infra roborare.

SIG

CHLODOVIUS S REX SUB.

REX

Beroaldus obtul.

Aunemundus peccator conſenciens ſubſcripſi.

In Chriſti nomine Chaoaldus conſentiens ſubſcripſi.

Rauracus peccator consenciens subscripsi.

Laudomerus consenciens subscripsi.

Aectherius peccator consenciens subscripsi.

† In Christi nomine Eligius Episcopus subscripsi.

Ricoaldus peccator consenciens subscripsi.

Rigoberchus peccator Episcopus subscripsi.

† In Christi nomine Landericus ac si peccator Episcopus subscripsi.

Vulfolendus peccator subscripsi.

Palladius peccator consenciens subscripsi.

Clarus in Dei nomine Episcopus consinsi & subscripsi.

... encta.... peccator consenciens subscripsi.

... acor peccator consenciens subscripsi.

Amalberchthus consinsi & subscripsi.

Wandalmarus consinsi & subscripsi.

Athildus consinsi & suscripsi.

Sighichelmus consinsi & subscripsi.

Chadbedo consinsi & subscripsi.

Warnacharius consinsi & subscripsi.

Vulderadus consinsi & subscripsi.

Ganctulfus consinsit & subscripsit.

Bobo consinsi & subscripsi.

Desideratus consinsi & subscripsi.

Gauciobertus Diaconus hunc privilegium subscripsi.

† In Christi nomine Gaere-

chramnus diaconus subscripsi.

Bodolevus subscripsi.

Ebroinus subscripsi.

Ragenobertus subscripsi.

Arneberthus subscripsi.

Signum † vir inlust. RADOBERTO MAJ. DOM.

Aegynarus subs.

Signum † vir.inlust. Merulfo.

Signum vir. inlust. Bertecari....

Signum † vir. inlust. Aigulfo com. Palat.

Signum † .... Chradobertus subscripsi.

Ochelpincus subscripsit.

Signum † vir. inlust. Austroberto.

Signum † Gaerinus jussus subscripsi.

Ebrulfus subscripsi.

Incrinus subscripsi.

Signum † vir. inlust. Probato.

Signum † Gundoberto.

Signum † vir. inluſt. Ermenrico Dom.

Signum † vir. inluſt. Madalfrido.

Chaldo † ſubſcripſi.

Rado ſubſcripſi.

Auderdus vir. inluſt. atque Patricius ſubſ.

Datum ſub dii x. Kal. Julias an. xvi. Regni noſtri Clipiaco in Dei nomine fel.

Diplomatum Merovingicorum ſpecimen tertium.

*Ejuſdem * Clodovei Præceptum de villa Cotiraco.*

* *De re Diplomat. lib. 5. tab. 18. pag. 348.*

[CLODOVIUS Rex Francorum] vir inluſter, Vandalberto Duci & Ebrulfo Grafioni, vel omnibus Agentibus

præsentibus & futuris. Se petitionibus Sacerdotum semper præbemus..... sinus.... ime in h.... regni nostri.... vel Basile.... confirmantis.... suuster.... quondam per sua epistola.... in loco noncopante Cotiraco, quæ est super fluvium Isera, in pago Camiliacense, pro.... geneturis nostri Dagobercthi Regis manebus robor... firmar... præces... cujus petitione... hoc ei magnetudo seu uteletas vestra... ex confirmatione... & genet... is nostri, quicquid in supra scripta loca... inter... Basilecam... præsenti tempore stabileter possedetur, indesinenter possedeant, & absque lite.... convexatio.... PROPRIA SUBSCRIPTIONE INSERERE NON POSSUMUS, NOS ET PRÆCELSA GENETREX NOSTRA Domna.... berctus.... signum

Domno

Domno Chlodovio Regi. Signum præcelſæ Nantechilde Reginæ.... valete.

Diplomatum Merovingicorum ſpecimen quartum.

Ejuſdem Clodovei ſecundi Placitum, quo Audoënum inter & Leudeſium lis orta deciditur.*

* *De re Diplomat. lib. 5. tab. 18. & p. 378.*

[CLODOVIUS Rex Francorum vir inluſter, Cum nos.....] Warattone, Baſeno Gravionibus, item Amalberto, Madelando ſeniſcalcis, & Waningo Comite Palatii reſederemus, ibique in præſentia..... latione actores ſancti Eccleſiæ Rotominſe adverſus V.... ad ſancta Eccleſia Rotominſe...per eorum epiſtolas delegaverant, poſt... tenerent... in lebete (*forſan* inlecete) qui ab... (*forte* ab-

bas) vel actores antedicti... dicebant reddebere. Sed inquirentes... eorum instrumenta, invenerunt; quod illa porcio, hoc est de ipsa villa quod à... erat hoc ERCHENOALDO QUONDAM MAJOREM-DOMÛS contulerat: & ipse Leudesius ligetemo ordene illa mediatate... habe... ad I... ordene pri... inter se, sicut decet Sacerdotes, cum caretate in raciones ad Basileca inter se æqualiter devidere deberint. Quod & in præsenti taliter noscitur convenisse... ut... omni mereto vel adgecentias suas, una cum terris, domibus, ædificies, m... pascuis, vel... ad Baselica Domini Dionynse absque repeticione... Audoino Episcopo vel successores suos Ecclesiæ Rotominse cu...,nomenante...vis... ipsa... loca medietate valeant possedere... Unde... Dei.

Diplomatum Merovingicorum specimen quintum.

Chrotildis * *Matronæ Charta, de conditione Monasterii B. Mariæ apud Brogarias in pago Stampensi, in quo neptem suam Mummolam constituit Abbatissam.*

* *De re Diplomat. lib. 5. tab. 19. p. 379. lib. 6. p. 468.*

Ex Autographo Dionysiano.

Anno 670.

..... ere & quid prudenciore consilium ut nom..... & terrena substancia transferat in cælestia sicut Dominus præclara voce intonat : *Tessauriciate vobis tesaurus in Cælo, ubi nec fur efudit, nec eruco rubigenat, nec tinea sulcat.* Iggitur in Dei nomine Chrotildis cogitans qualiter peccatorum meorum facinora possem abstergere, & ad æterna gaudia pervenire, lecit in cunctis pauperebus bene tribuendo potesta-

...... ma adebisci remedium: sed tamen juxta quod scriptum est, *date elemosena & omnia munda sunt vobis*, præcipui ad domesticis fedei, & illud, *Facite vobis amicus de Mammona iniquitatis qui vos recipiant in æterna tabernacola.* Et alibi: *beati pauperis spiritum, quoniam ipsorum est rignum cælorum*; nihilomenus bonum est pro cunctorum necessetatibus lebenter manum porregere; sed ad tale bona maximè oportit substantia transagendi conferre septam Monastiriæ habetationis struere, vel de æterna tabernacola debiant ad beneficia rebus respondere, præcipui ubi chorus sanctorum virgenum jugiter medetationum Carmena devota mente Domino canuntur, in loco ubi decernit, construere, in quorum honore di-

atur ipſorum ante Domino intercessio ſpiretur. Et ideo in Dei nomine & in honore ſancti Mariæ genetricis Domini noſtri Jeſum-Chriſti, & citerorum ſanctorum, quorum pignora in ipſo Monaſtirio habentur, in loco noncopante Brocaria, ſitum in pago Stampenſe prope de fluviolo Urbia, afflante Chriſto monaſtirium puellarum devota mente decrivi fundare, ubi nepte mea Mummolam inſtituemus Abatiſſam: ea vero racione: ut ſub Evangeleca & Apoſtholeca tradicione, & regola Sanctorum Patrum, perpetuis temporebus ipſa & ſucceſſoris earum in loco tramete debiant vitam perfrui, & pro felicitatem Regum, vel ſtatu æcclefiæ & pro animæ meæ remedium Domini miſericordia adtentius de-

precare : & præcipui, ut nulla monacha in eodem Monastirium quippiam peculiare præsumat, sed sint illis omnia communia. Ad locum sanctum vel prædicta congregationem cedo addie præsente, & cessumque in perpetuo esse volo, & de jure meo in jure atque Domenacione sancti Mariæ & spunsarum Christi prædicto locum consestentis trado atque transfundo, hoc est ipso agro Brogaria, in quo Monastirio Christo præsoli construxi, duas partes de ipsa villa, tam ex Luctuoso, quam undique ad nos pervinit, volemus ut proficiat; & medietatem de loco noncopante Pladano, sicut jam dixi, tam ex Luctuoso, quam undique ad nostra domenacione pervinit, volimus ut ad ipso sancto loco debiat pervenire.

Semeleter & locello cognomenante Fontaneto, quantum inibi ad præsens tam ex Luctuoso, quam undique mea regit... tas & ad nos undecunque nuscetur pervenisse : dum inlustri viro Charichardo, se nos superstitis est, post nostrum opetum delegaremus, ut dum adjuvit, hoc post se possediat, & post suum & nostrum dicessum semeleter & de ipso locello medietatem volemus, ut ad ipso Monastirio in acte dicto loco debiat revertere, cum domebus, ædificies, accolabus, mancipiis, vineis, campis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursebus, adjecenciis, appendiciis, farinariis, gregis cum pastorebus, movele & immovele, utriusque sexus, & omne meretum eorum ad ipsa loca aspicientes, qualiter supe-

rius est intimatum, ad ipsum sanctum Monastirium proficiat perennis temporebus. Et hæc omnia superius comprehensa ad ipso sancto loco post nostrum transetum præsentaliter revertatur. Et cum Abbatissa ejusdem loci de hoc sæcolum fuerit evocata, quem cuncta congregatio unanimiter bene Rigolâ compertâ eligerint, in loco ipsius socessor instituatur. Et adhuc perpensavemus pro ea opportunetate, ut mercis nostra qualiter superius intemavemus perpetuis temporebus debiat proficiscere, de omnis res nostras quid in supra scripta loca in hanc pagenam deliberacionis, quem pro animæ nostræ remedium deligavemus, quid superest heredis nostri propinquioris adsumant; & se venerit & ne-

ceſſitas quod in parte ſua acciperit, aligenare alicubi, non habiat poteſtatem hoc faciendi, niſi ad illo Rectore qui de ipſo monaſterio in ſupra ſcripto loco cuſtos eſſe videtur, & in ibi ad ipſa ſancta congregatione in augmentis ſocedat & ſe alequa ſtrumenta cartaſve contra præſentem deliberacionem, quam ſpontania voluntate pro animæ noſtræ remedium fieri rogavemus, venire temtaverent, aut oſtenſas fuerint : nec eas feci niſi in ſupra ſcripto viro Charichardo, nec fieri rogavi. Et ſe inventas fuerint, nullo-modo obteniant vicorem : ſed ubi & ubi oſtenſas apparuerunt, vacuas & inanis permaniant. Si quis vero (quod futurum eſſe non credo) ſi ego ipſa, aut aloqui de heredebus vel pro herede-

bus meis, vel quislibet oposeta persona contra præsentem deliberacionem venire conaverit; iram sancti Trinetatis incurrat, & a lemenebus sanctarum Ecclesiarum excomunis apariat; & insuper inferat socio fisco auri libras viginti, argenti pondo quinquagenta, & nec sic valiat vendecare quod expetit. Et se alequi de heredebus nostris ad diæ presente deliberacione nostra, quod divina pietas nos facere commonuit, infrangere voluerit; res quas de hereditatis nostræ ad ipsum pervenire potuerant, amittat, & ad prædictum sanctum Monastirium perveniant, & ibidem semper proficiat in augmentis, & hæc deliberacio omne tempore firma & inviolata parmaniat.

Signum † inlustris Deo de-

rotæ Chrothilde, qui hanc deliberacionem pro animæ nostræ remedium fieri rogavemus, manu propria firmavemus.

In Christi nomine Agilpertus ac si peccator subscripsi.

Signum † vir inluster Ermenrigo.

Vaningo subscripsi.

Ghislemarus rogetus subscripsi.

Ghisloberthus subscripsi.

Gadroaldus peccator subsc.....

...dehardus rogitus subscripsi.

Signum † Bettoleno.

Ansobertus subscripsi.

Signum † Childebrando.

Bertinus rogitus subscripsi.

Signum † Chramnino.

.... rdobercthus rogetus subscripsi.

Signum Gæleramno.

Mummolenus rogetus a ſupraſcriptis ſubſcripſi.

Ragnemnus ſubſcripſi.

Chrodecarius Abba ſubſcripſi.

Signum † Guntrigo.

Signum A Urſino.

Signum † Chrodobardo.

Signum † Echarigo.

Signum † Erchenrigo.

Signum † Mauroleno.

Urſinianus ſubſcripſi.

(Datum) Morlacas vico pupl. quod fecit minſis Marcius dies decim. ANN. XVI. REGN. DOMINI NOSTRI CLOTACHARIÆ GLORIOSISSIMI REGIS.

Frigobertus rogante & præſente Chrotilde privil. ſubſcripſi.

Diplo-

Diplomatum Merovingicorum specimen sextum.

*Theodorici * filii Clodovei secundi Regis Præceptum de Latiniaco villa, Monasterio S. Dionysii concessa.*

* *De re diplomat. lib. 5. tab. 19. p. 379. lib. 6. p. 471.*

Ex Autographo.

Anno 690.

THEUDERICUS Rex Francorum vir inluster. DUM ET NOBIS divena pietas ad legitema ætate fecit pervenire, & in solium rigni parentum nostrorum succidire oportit, nobis & condecit pro salute animæ nostræ cogitare dibiamus. Idioque vestra cognuscat industria, quod nos pro salute animæ nostræ, una cum consilio Ponteficum vel Obtimatum nostrorum, villa noncopanti Latiniaco, quæ ponitur in pago Meldequo, qui

fuit inlustribus viris EBROINO, WARATTUNE, ET GHISLEMARO, quondam Majoris-domos nostros, & post discessum ipsius Warattune IN FISCO NOSTRO FUERAT REVOCATA nos ipsa villa de fisco nostro ad sugestione præcelsæ REGINÆ NOSTRÆ Chrodochilde, seo & inlustri viro BERCHARIO Majorem-domos nostra ad Monasthirio sancti Domni Dionysiæ, ubi ipsi preciosus in corpore requiescit, & venerabilis vir Chaino Abba cum norma plurima monachorum ad laudis Christi canendas in ordine sancto ibidem adunata præesse vidiatur, pro remedium animæ nostri plena & integra gracia propter rem illa in loco qui dicitur siliacos, qui fuit Arulpho quondam, & ibidem usque nunc ad ipso La-

tiniaco aſpexit, quem Apoſtolico viro Domno Godino Epiſcopo per alia noſtra præceptione conceſſemus, in reliquo viro ad integrum ipſa villa Latiniaco ad ipſo Monaſthirio domni Dionyſiæ die præſenti viſi fuimus conceſſiſſe. Quapropter per hunc præceptum noſtrum decernemus ordenandum, & perpetualiter volemus eſſe manſurum, ut ipſa villa ſuperius nomenata Latiniaco, cum terris, domebus, mancipiis, acolabus, viniis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, farinariis, aquis, aquarumve decurſibus, peculiis utriuſque generis ſexſus, cum adjacenciis, adpendenciis, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, omnea & ex omnebus rem exquiſita, ſicut ad ſuperſcriptas perſonas fuit poſſeſſa, vel poſtia

in fisco nostro revocata, cum omni integritate vel solidetate sua ad se pertenentis vel aspicientis prepter supra-scripta rem in siliaco, qui fuit ipsius Arulfo vel jam dicto Pontefici, per nostra precepcione concessemus: in reliquo viro prædicta villa Latiniaco ad integrum sub emunetatis nomine absque introitus judicum memoratus Chagno Abba ad parte prædicti Monastheri sui sancti Dionisiæ per hanc nostram cessione in lumenarebus ipsius Basilici habiat concessa atque indulta: & deinceps in postmodum nec de parte de fisci nostri, nec ad quamcumque libet persona, nec per instrumenta cartarum, nec per quolibet ingenium, ipsa villa de ipso Monasthirio nullatenus abstrahatur nec auferatur: sed si-

cut ſuperius diximus, pro noſtra mercide ibidem in perpetuo in Dei nomine proficiat in augmentis : quo fiat ut & nobis ad mercidem perteniat, & ipſis ſervis Dei qui ibidem deſervire vidintur, delectit pro animæ ſalutem vel rigni noſtri conſtancia adtencius Domini meſericordia deprecare. Et ut hæc præcepcio, juſſio noſtra firmior habiatur & melius per tempora conſervitur, manus noſtri ſubſcripcionebus ſubter eam decrivemus roborare.

† In Christi nomine Theudericus Rex subscripsi.

Wlfolaëcus juſſus optol. & ſubſc.

Datum ſub die tertio Kal. Novembris, annum xvi. Rigni noſtri Conpendio, in Dei nomino feliciter.

Diplomatum Merovingicorum specimen septimum.

* De re diplom. lib. 5. tab. 20. p. 381. lib. 6. p. 419.

*Theodorici * ejusdem Placitum de Chramlino Episcopo Ebredunensi in Synodo publica deposito, & facultate eidem concessa res suas post degradationem retinendi.*

Ex Autographo Dionysiano. Anno 678.

THEUDERICUS Rex Francorum, viris inlustrebus Audoberctho & Rocco nostris Patriciis, ac omnebus Ducis, seu Comitebus, vel Actorebus publicis. Dum & Episcopos de rigna nostra, tam de Niuster, quam & de Burgundia, pro statu æcclesiæ vel confirmatione pacis ad nostro palatio Marlaco villa jussemus advenire; & aliqui ex ipsis, qui in fidelitate nostra fuerant inventi, per eorum

Cannonis fuerant judecati; inter quos adfuit Chramlinus filius Miecio quondam, qui æpiscopatum Æbreduno civitate habuit; inventum est quod sua præsumptione, vel per falsa carta, seu per revellationis * audacia, sed non per nostra ordenacione ipsum æpiscopatum reciperat; etiam nec sicut eorum Cannonis contenent, ad ipsum benedicendum sollemniter Episcopi non adfuerunt. Unde Genesio, Chadune, Blidramno, Landoberctho & Ternisco, qui Metropoli esse videntur, vel reliqui quam plures Episcopi ipsus judicantis, in nostri præsentia fuit conscissus, adque de supradicto Episcopato rejectus. Ideo nus una cum concilio supra scriptorum Ponteficum vel procerum nostrorum complacuit,

* *Rebellionis.*

quatenus dum secundum Cannonis in ipso Senodale consilium fuerat degradatus, res suas proprias pertractavemus, pro mercidis causa, perdere non dibirit : sed quod exinde facere voluerit, una cum suprascriptus patribus nostris taliter præcipemus, ut hoc licentiam habiat faciendi. Et postia sua peticio fuit, ut ipsum in Monastyrio sancti Dionisiæ peculiaris patruni nostri, ubi ipsi preciosus in corpore requiescit; vel ubi Chardericus Abba praeesse viditur, sub opidiencia vel sub regolare ordene diebus vitæ sui conversare debiret. Et dum perpetuo exsilio fuerat judicatus, misericordia muti, una cum consilio supra scriptorum Pontesicum peticionem suam visi fuimus pristetisse. Proinde per præ-

ſente præceptum ſpecialiter decernimus ordenandum, ut res ſuas neque vos, neque juniores ſeu ſocceſſores veſtri, nec quiſlibet contradicere vel minuare, nec contangere, nec infiſcare non præſummatis : ſed per hanc auctoretate plinius in Dei nomene confirmatus liciat ei per noſtro permiſſo res ſuas, ubi & ubi voluerit donare aut deligare, vel quidquid exinde facere voluerit, liberam & firmiſſemam in omnibus habiat poteſtatem. Et ut hæc autoritas firmior habiatur manus noſtra ſubſcriptionebus ſubter eam dicrevimus roborare.

† In Christi nomene Theudericus Rex subscripsi.

Aghlibertus recognovit.

Datum medio menſe September, annum v. Rigni noſtri,

Marlato in Dei nomine feliciter.

Diplomatum Merovingicorum specimen octavum.

* De re Diplom. lib. 5. tab. 20. p. 381. lib. 6. p. 472.

*Vandemiris V. J. Charta * & Erchambertæ ejus uxoris de donationibus factis in complura Monasteria & Ecclesias.*

Ex Autographo mutilo. Anno 690.

. . . .

conferre debemus, unde in futurum veniam misericordiæ animis nostris.... donamus donatumque in perpetuo esse volomus ad Basilica Domnæ Stephanæ in Parisius, ubi domnus Sigofridus Pontefex praeesse veditur, villa cognomenante in pago Camliacensi cum omne merito vel ageciencias & soledetates suas, sicut à nobis præsente tempore est possessum. Si-

mile modo donamus ad Monasterio Domnæ..... pred...... ata Abbatissa præesse veditur, villa cognomenante Gelinorcurti, in pago Camiliacensi, cum omne integritate vel merito suo, sicut & nos.... vedimus. Pare modo donamus ad Basilica domnæ Germanæ, ubi vir venerabilis Landebertus Abba præesse veditur, villam cognomenante Fraxineto, in pago.... vel quidquid præsente tempore quieto ordine à nobis ibidem est possessum, simile modo donamus ad Basilica DOMNÆ VINCENTE, VEL DOMNI GERMANI, UBI VIR VENERABILIS AUDCHARIUS ABBA præesse veditur, villas cognomenantis Oxma in pago Dorcassino, Noviolio in pago Andegavino, cum omne intigritate &.... tutum & ad integrum sicut à no-

bis præsente tempore est possessum. Pare modo donamus Vuambuniacas in pago Beloacinsi ad Basilica Domnæ...... Noaldus Abba præesse veditur, tutum & ad integrum cum agecienciis vel adpendiciis suis, sicut à nobis præsente tempore est possessum. Donamus...... venerabilis Vandremarus Abba præesse veditur, villa cognomenante Gomariovilla in pago Stampinsi, cum omne integritate vel merito suo agecencias vel adp.... sicut à nobis præsente tempore est possessum. Simile modo donamus ad Domno Christivilo Monistirio puellarum in Parisius, ubi Landetrudis Abbatissa præesse veditur.... Noviliaco in pago Camiliacinsi. In Dei nomine donamus Gundulfocurti in pago Camiliacinsi, Premiaco in pago Aure-

Aurelianinſi ab Baſilica pretioſi Domnæ..... (Dioniſii Martyris ubi) ipſi in corpore requieſcit, & venerabilis Chaeno Abba præeſſe veditur, cum omne integritate vel ſoleditates eorum, ſicut à nobis præſente tempore .... ad Moniſterio Aolinovilla, ubi vir venerabilis Vigur Abba præeſſe veditur, villa cognominante Villare, in pago Oxminſi, cum omne merito & integretate.... ponamus in Dei.... ad Monaſterio Portmauro, ubi vir venerabilis Amalcarius Abba præeſſe veditur, locello cognomenante Alticio in pago Maceracius, cum omne integritate.... quicquid à nobis præſente tempore ibidem eſt poſſeſſum. Simile modo donamus Badenaco ad Funtanellæ ad domno Petro, ubi Domnus Lan-

doinus corpore requies..... agecenciis, vel adpendiciis, tutum & ad integrum sicut à nobis est possessum. Donamus ad Basilica Domnæ Petri..... ubi vir venerabilis..... cognominantis Ispaldis in pago Vilcassino, Brinnaco in pago Ebricino, Ararnio in pago Oximinsi, Ociaco in pago Oximensi, Cormilias..... quicquid ibidem nos præsente tempore possedire vedimur. Donamus in Dei nomine ad Domno Desiderio, ubi vir venerabilis Adroaldus Abba præesse veditur..... ubi vir venerabilis Carone Abba præesse veditur, in pago Ebricino cum omne merito suo, sicut à nobis præsente tempore est possessum. Donamus ad Villa cognominante..... in pago Lexuino cum omne integritate vel merito suo, sicut à no-

bis præſente tempore eſt poſſeſſum. Donamus in Dei nomine... Priſciaco in pago Camiliacinſi ad Domno Martino in ipſo Priſciaco, ubi venerabilis vir Farulfus Abba præeſſe veditur, ubi ſepulturas noſtras ibidem habimus recondetas..... dedero, &..... habit humana fragiletas in iſta hic..... quod Deus advertat de nobis non contingat, dulciſſema conjux mea Ercamberta ſtante iſta omnia quod ſuperius diximus, ſe nos ſuperſtitis aderat, & Deo ſi vovirit, villas cognominantes Lubariaci in pago Oxminſi...... ſinovillare ſuperiore in pago Lexoino, Colzo in pago Lexuino, Cambrimaro in pago Lexuino, Cacidraco in pago Cilimanico, Abaciaco in pago Cilimanico, ut jam dixi dulciſſima conjux

mea Ercamberta se mihi superstites fuerit, suprascriptas villas tam de parte sua, quam & de parte nostra in sua faciat revocare Domenacione & Monisterio ubi se eligerit d (egere) ..... re... futuris temporebus ad ipso Monasterio prædictas villas debiant proficere in augmento. Et ut hæc delibiratio nostra, quem pro animis nostris dare decrevimus.... per tempora conservitur sicut..... it reservata.... ad hæredis nostros, villas cognominantis Redoniaco & Miscello in pago Cadrocino, Ocello & Baciaco..... stante ista omnia quod superius comuni conveniencia ficimus, convinit ut qui pare suo superstetis aderat, res pare suo possedire debirit ut ne...... mercidem amborum ad loca sanctorum delegare debi-

ret. Unde duas epiſtulas uno tenore conſcriptas inter nos fieri & confirmare convinit..... Pariſiaci ubi Apoſtholicus Domnos & Pater noſter Sigofridus præeſſe veditur, recondatur; & alia eo modo conſcripta, qui de nos pare ſuo ſuperſtetis aderat habir..... dio vixerit, quarta parte reſervavimus. Si quis virò ...... (quod futurum eſſe non credo,) ſe noſmetipſi aut aliquis de hæredibus noſtris...... contra præſentem deliberationem noſtram Deus ibi..... contrario quoque tempore vinire, aut infrangere voluerit, in primitus iram trini Mageſtatis incurrat ub..... Domnis ſanctis, quorum reliquiæ in ſæpefatas Balicas inſertæ eſſe nuſcuntur, & ab omnebus Eccleſiis excommunis appariat; nec hic nec in

futuro veniam p...... rere non poſſit una cum ſocio fiſco auri libras cento, & argento pondo ducenta quoactus exſolvat ; & qui repetit , nullatenus valiat evindicare. Et hæc deliberatio ...... noſtra duce Deo omni quoque tempore firma & inviolata permaneat,ſtipulacione pro omne fitmitate ſubnexa. Actum Camiliaco vico publico quod fuit minſis....... Ann. XVII. Rigni domni noſtri Theuderice glorioſiſſimi Regis.

Ego in Dei nomine Vandemiris hanc epiſtola à me facta religi & ſubſcripſi.

Ercamberta ſubſcripſi.

Ghranno ſubſcr.

Signum † viri inluſt. Aurelio.

Signum † Boſone.

Auronius rogetus a ſubraſcriptis hanc epiſtolam ſubſcripſi.

Signum † Bosittone.
Signum † Chlodoaldo.
Signum † Ingobert.
Signum † Gamardo.
Signum † Gandulfo.
.... subsc.
Ch...... subsc.

Diplomatum Merovingicorum ultimum specimen.

*Childeberti III. * præceptum de Napsiniaco villa in pago Bituricensi, Monasterio sancti Dionysii concessa.*

* *De re diplomat. lib. 5. tab. 21. & p. 382. lib. 6. p. 476.*

CHILDEBERTHUS Rex Francorum vir inluster. Creatur omnium Deus delectatur oblatione fidelium, licet ipsi cunctis domenatur. Sed vult ut quod dedit in omnem potestatem ejus climencia dibeat...

Ex Autographo.
Anno 694.

.... dire præcipui sæcoli divetis .... quantum amplius vidintur possedire, tantum magis oportet impendire. Idioque cognuscat magnitudo seu hutilitas vestra, quod nos villa noncopante Napsiniaco in pago Bitorico, cum omni merito, vel adtinencias suas, quem Apostholicus vir Domnus Godinus Lugdunensis urbis Episcopus, de parte Ecclesiæ suæ pro alia villa noncopante villa-Orbana tempore bonæ memoriæ Germano nostro Clodovio quondam Rege, ad parte fisci in conmutationis titulum visus fuit dedisse, & postia de fisco inlustri viro Pannichio fuit concessum; & post discessum prædicto Pannichio ad parte fisci nostri fuit revocatum: hoc ad Basilica peculiaris Patroni nostri Domini Dionysii, ubi ipsi

pretiosus Domnus in corpure requiescit, vel ubi venerabilis vir Chaino Abba præesse veditur, plina & integra gracia pro mercidis nostræ augmentum visi fuimus concessisse: & congregacio ibidem consistencium solidus donentur, quod de sacello publico annis singolis ibidem fuit consuetudo in alemunia vel in lumenaribus ipsius sancti loci de palatio dandi, seu & solidus cento exemtis, quod de Massilia civetate judecis publeci admissus ipsius Basilecæ consuetudinem habuerunt dandi, pro eo quod ipsa villa firmissimo jure pars ipsius DomniDionysii perenniter deberet possidire, ad parte fisci nostri relaxsassint. Idio per præsentem præceptionem decernimus urdenandum, quod in perpetuo vo-

lumus esse mansurum, ut neque vos neque junioris, neque successoris vestri, nec quislibet, ipsa villa Napsiniaco cum adjacencias suas, vel quod ibidem aspicire vedintur, de quicquid pars Ecclesiæ Lugduninsis civetatis ibidem possidet, vel in commutationis titulum pro ipsa villa Orbana fuit ad partem fisci conlatum, & ipsius Pannichio fuit concessum, vel hoc moriens dereliquid, & ad fisco nostro fuit revocatum; nihil exinde contradicere, nec de parte ipsius Domni Dionysii minuare, nec abstrahere, nec nulla calomnia ob hoc generare penitus non præsumatis, nisi prædicta villa Napsiniaco cum omni merito, vel integritate sua, hoc est terris, domebus, edificiis, accolabus, mancipiis, viniis, campis,

pratis, pascuis pæcoliis, præsidiis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, vel reliquis quibuslibet beneficiis utriusque genere sexsus, rem exquisita, quicquid dici aut nomenari potest, memoratus Chaino Abba aut successoris sui, vel pars prædicti Basil. domni Dionysii, aut Congregacio ibidem consistencium ex nostro munere largetatis omni tempore sub emunitatis nomene valeat esse concessum atque indultum: ita ut dum ipsa Congregacio voluntario urdine ipsus solidus donentur, quos de sacello publico, seu & ipsus solidus cento eximtis quod de ipsa Massilia annis singolis in luminarebus, vel in alimonia consuetudinem, juxta quod anterioris Regis hoc ibidem cinsiverunt, habuerunt re-

cipiendi; pars fisci nostri ipsus solidus trecentus in sacello nostro perennis temporebus, debiant recipere, & ubi fuerit jussum debiant dispendire: & nulla reclamatio nullo unquam tempore de parte ipsius Basilici Domni Dionysii ad fisco nostro, nec ad successoris nostrus non perveniat, & prædicta villa Nanpsiniacus ad ipso sancto loco perenniter proficiat in argimentis, unde ipsa Congregatio pro stabelitate rigni vel salute patriæ Domini misericordiæ jugiter debiant exorare. Et taliter precipemus, ut pro mercidis nostræ augimentum vel stabelitato circa ipsa Basilica Domni Dionisiii vel nostro palacio pertenenti duas præceptiones uno tenure conscriptas exinde fieri jussimus, una in arce Basilicæ sancti

ſancti Dionyſii reſediat, & alia in teſſauro noſtra. Et ut hæc præceptio firmior habiatur, vel per tempora conſervintur ; manus noſtræ ſubſcriptionebus ſubter eam decrivemus roborare.

Childebertus Rex ſubſ.

Wlfolaëcus juſſus optulit.

Datum quod ficit minſis Decembris dies XIII. anno primo rigni noſtri, Compendio villa noſtra in Dei nomine feliciter.

Diplomatum Carolinorum ſpecimen primum.

*Pippini Regis * Præceptum, quo Fulrado Abbati bona ab eodem ſibi urgente gravi morbo commiſſa reſtituit, & de iiſdem bonis diſponendi facultatem concedit.*

* *De re diplomat. lib. 5. tab. 33. p. 386. lib. 6. p. 495.*

Ex Autographo Dionyſiano. Anno 767.

PIPPINUS Rex Francorum vir inluſter. Omnibus Epiſ-

copis, Abbatibus, seu Comitibus vel Proceribus nostris atque Missis à palatio nostro ubique discurrentibus. Et quia per Dei misericordiam regna terræ gubernare videmur, oportet ea in Dei nomine indesinenter perpendere: quatenus illorum nostra propitiatio tueatur, quorum nobis sollicitudo comissa esse videtur: qualiter & illis qui munimine indigent, defendamus, atque recto tramite sustentemus. Nam in his præcipue honor noster clarescere debet, qui non solum fidem inlæsam erga nos in omnibus visi sunt custodire, sed etiam assiduitatem servitiis totis viribus junctis non cessant impendere. Et ideo necesse censemus, ut qui talia exercere noscuntur; & nostris temporibus vitam eorum faciant pacificam

ducere, & futuris jure firmiſſimo ea, quæ à nobis conceſſa ſunt, abſque inquietudine liberis poteſtatibus Chriſto præſule valeant in omnibus dominare. Quapropter dum pluribus noſcitur eſſe compertum, quatenus fideli Deo propitio noſtro atque viro venerabili Fulrado Capellano noſtro ſive Archiepreſbytero, ante hos dies advenienti cauſæ laboris, pæriculum pœne mortis conſtat eum fuiſſe connexum. Et ideo tradens nobis res proprietatis ſuæ quas homo aliquus, nomine Vuido, eidem delegaverat, ut pro ejus anima ipſas res ad loca ſanctorum confirmare deberemus. Sed quia ſubveniente divina miſericordia in priſtinam denuo reſtitutus eſt ſanitatem; prædictas iterum res ipſius Fulrado viſi fui-

mus tradedisse. Sed verens ipse quasi per quodam temporis spacium pro cupiditatis amore homines aliqui ipsis prædictis rebus requerere, vel pro ipsa causa ei calumniam generare deberent; idcirco petiit celsitudinem nostram, ut pro ipsa traditione in idipsum nostram præceptionem deberemus generaliter confirmare. Quod & nos gratante animo ita præstetisse, vel in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes enim ut prædictus vir venerabilis Fulradus Capellanus noster ipsas res, quas memoratus Vuido ei tradidit, id est Ghosmari, Audaldovillare, Ansulfisthaim, Suntor, Grucinhaim, Ratbertovillare, vel quicquid per ipsius Fulrado precaria prædictus Vuido possedere videtur, quod nobis Fulradus

tradedit, cum omni integritate tam terris, domibus, edificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſilvis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus, & immobilibus, pecuniis, peculiis utriuſque ſexus gregis, cum Caſtoribus vel omni ſuppellectile, quantumcumque de paterno, vel de materno ſeu undecumque ad ipſo Vuidone legitimo ordine noſcitur pervenire, quicquid in Alſacenſe, & in Mordenaugia habere viſus eſt; totum & ad integrum quod in ipſos pagos ſua fuit poſeſſio & Fulrado tradedit & ipſe nobis viſus eſt; totum & ad integrum quod in ipſos pagos ſua fuit poſſeſſio & Fulrado tradedit, & ipſe nobis, (ut ſupradiximus) in ſua infirmitate tradedit, atque nos denuo ipſius

Fulrado tradedimus; ab hac die ex nostra munificentia licentiam habeat deinceps ipsas res habendi, tenendi, dandi, vindendi, conmutandi; etiam vel si pro Christi amore & suæ animæ remedium ipsas res ad loca sanctorum delegare voluerit, ubicumque ei beneplacitum fuerit, ex permisso nostro absque ullius judicis vel fisci inquietudine, sive extra ipsius Vuidone heredis refragatione, liberam ac firmissimam prædictus Fulradus Capellanus noster, sive Archipresbyter liberam ac firmissimam in omnibus de ipsis rebus habiat potestatem faciendi quicquid voluerit. Quam vero autoritatem ut firmior habeatur, vel pro tempore melius conservetur; subter eam firmavimus, vel de annulo nostro sigillavimus.

Signum † Pippino gloriosissimo Rege.

Hilerius recognovit & subsc.

Data NONO KALENDAS OCTOBRIS ANNO XVII. REGNI NOSTRI. Actum in ipso Monasterio sancti Dionysii.

Diplomatum Carolinorum specimen secundum.

*Præceptum * Carolomanni Regis, Fratris Caroli M. quo Monasterii Dionysiani immunitates & à telone s exemptionem omnibus ad festivitatem seu mercatum S. Dionysii concurrentibus confirmat.*

* *De re diplom. lib. 6. p. 496.*

CAROLOMANNUS Rex Francorum inluster. Omnibus Episcopis, Abbatibus Ducibus, Comitibus, Domesticis,

Ex Autographo Dionysiano. Anno 769.

Veccariis, Centenariis, vel omnes agentes, tam præsentibus, quam & futuris, seu & omnes Missus nostros ubique discurrentes. Igitur cognoscat utilitas seu magnitudo vestra, quia vir venerabilis Fulradus Abba de Basilica peculiaris Patronis nostri sancti Dionysii, ubi ipse pretiosus Domnus in corpore requiescere videtur, vel ipse Abba una cum turma plurima monachorum in ipso cœnobio degerere videtur, vel dominum militare noscuntur; missa petitione nobis suggesserunt, eo quod bonæ memoriæ domnus & genitor Pippinus quondam rex, vel cæteri antecessores, qui ante ipsum vel nos gubernacula regni Francorum tenuerunt, per eorum oraculis, eorumque manus roboratas tale

beneficium ad Caſa ſancti Dionyſii conceſſerunt infra pago Pariſiago, de illa feſtivitate ſancti Dionyſii Patronis noſtri, in idipſo, ſeu per villabus, vel per agros, tam ibidem, quam & alicubi ad negociandum, vel negocia plurima exercendum, vel vina comparandum in portus, & per diverſa flumina, qui ad ipſa feſtivitate advenerint: ut ipſe telloneos in integra de ipſa vice ad caſa ſancti Dionyſii infra pago Pariſiago conceſſiſſent vel confirmaſſent ſub integritate. Unde & ipſas preceptiones prædictorum, & judiciaria ſeu & confirmationes anteriorum Regum (ſicut ſuperius inſertum eſt) nobis in præſente obtulerunt ad relegendas: relectas & percurſas ipſas præceptiones ſeu & confirmationes,

vel illa judicio evindicato quod bonæ memoriæ Domno & genitore Pippino quondam Rege, vel Childeberto, nec non & Grimoaldo majorum-domo, quem agentes sancti Dionysii superagentes anteriorum judicum evindicaverunt, ipsos nobis obtulerunt ad relegendum. Et postea suggerebat ipse Fulradus, vel monachi sancti Dionysii, & hoc dicebant, ut illi telloneus de illo in villabus, vel agros eorum, totus absque judicis introitum ad casa domni Dionysii adesse debebat, & Fulradus Abba seu Capellanus noster judicium evindicatum seu & Confirmatione Domno & genitore nostro Pippino gloriosissimo Rege per manibus adserit retulisse, vel quomodo à longo tempore Regum ibidem fuit consuetudo,

vel ad ipsa casa Dei integritate ipse telloneos fuit concessus, vel conservatus. Et dum hac causa sic acta vel perpetracta invenissent per anteriorum Regum, tales præceptiones vel confirmationes nobis obtulerunt relegendas. Et denuo iterum concessimus, ut ab hac die nullus ex judiciaria potestate, nec in ipso marcado, nec per eorum agros, nec portus, nec de homines eorum, nec eorum negociantes, nec de omnes naciones quascumque, qui ad jam dicto marcado adveniunt, nec per villas eorum, nec de navigia, nec de portus, nec de carra, nec de saumas nullo telloneo, nec foratico, nec rotatico, nec pontatico, nec portatico, nec salutatico, nec cispitatico, nec mutatico, nec nulla exacta consue-

tudine, nec nullus dinarius quatuor de omnes naciones quod ibidem ad ipso marcado adveniunt quem Sonachildis & Guairfridus Comis (ut supra memoravimus) in consuetudine miserunt, ad ipsa necutiantes, nec infra ipso pago Parisiago, nec ipsa civitate de ipsa vice nec aliubi qui ad ipsa festivitate adveniunt, nulla exacta, nec contrarietate, neque vos, neque juniores, seu successore vestri exigere, nec exactare non præsumatis: nisi (ut diximus) quicquid exinde fiscus noster forsitan ad parte nostra, seu & ad omnes agentes nostros potuerat sperare, omnia & ex omnibus ipse telloneos ad ipsa casa Dei in integrum sit concessus atque indultus vel evindicatus: ita ut futuris temporibus per nostra aucto-

auctoritate vel anteriorum Regum habeant confirmatum, vel evindicatum, quia nos propter Deum & reverentia præfati sancti Dionisii Martyris, seu pro animæ nostræ remedium, vel stabilitatem regni Francorum, vel proceris nostris & posteritate eorum hoc in luminaribus ad ipsa casa sancti Dionysii vel ad ipso Monachus, seu pauperes & peregrinus, in nostra elimosina hoc in omnibus concessimus vel confirmamus: ut eis melius dilectet pro stabiletate regni nostri, vel pro cunctis Leudis nostros Domini misericordia adtencius deprecare, & ut evis & perennis temporibus ad ipsa casa Dei proficiat in augmentum. Et ut hæc confirmatio nostra inspectas ipsas præceptionis, vel judicius evindicatus ad Domno

Pipinno Rege, vel aliorum Regum firmior habeatur, & circa ipsa casa Dei perenniter conservetur; manu nostra subter eam decrevimus adsignare, & de annulo nostro subter sigillare.

Signum † Carolomanno. Gloriosissimo Rege.

Maginarius recognovi & subscripsi.

Data IN MENSE JANUARIO, anno primo regni nostri, actum SALMUNCIAGO palacio publico in Deo nomine feliciter.

Diplomatum Carolinorum ſpecimen tertium.

*Caroli M. Præceptum * quo varia Monaſterii Dionyſiani bona ſub Pippino Rege recuperata, eidem Monaſterio confirmat.*

* *De re Diplomat. lib. 6. pag. 497.*

Ex Autographo. Anno 775.

CAROLUS gratia Dei Rex Francorum & Langobardorum, omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Graffionibus, Vicariis, Centenariis, vel omnes Miſſos noſtros diſcurrentes, vel quibuſlibet judiciaria poteſtate præditis: ſumma cura & ſollicitudo debet eſſe Regum, ut ea quæ à ſacerdotibus pro opportunitate Eccleſiarum Dei fuerint poſtulata, ſolerter perſpicere, & congrua vel opportu-

na eis beneficia non denegare, ſed ea quæ pro Dei ſunt intuitu ad effectum in Dei nomine mancipare. Igitur cognoſcat magnitudo ſeu utilitas veſtra, quia venerabilis vir Fulradus Abba ex monaſterio peculiaris patronis noſtri ſancti Diuniſii martyris, ubi ipſe pretioſus domnus corpore requieſcit, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, & præceptionem domini & genitoris noſtri Pippini quondam Regis nobis oſtendedit relegendam, ubi contenebatur inſertum de rebus ſancti Diuniſii, quæ à longo tempore tam ex munificentia Regum, quam & à Chriſtianis vel Deo timentibus & bonis hominibus, conlatas vel donatas fuerunt, à pravis ſeu malis hominibus per iniqua cupiditate ſeu malo ingenio, vel tepidi-

tate Abbatorum ſeu neglecto judicium de ipſa caſa abſtractas, vel diſmanatas fuerunt. Unde & ipſi Monachi vel ipſi Agentes una cum præceptione Regum vel reliqua ſtrumenta Cartarum de ipſas res in palatio ante genitore noſtro ſeu ejus Ducibus per plures vicibus advenerunt in rationes una cum plures hominibus, qui ipſas res malo ordine tenebant; & genitor noſter pro reverentia ipſius ſancti Diuniſii Martyris, vel pro ipſo amore Dei eorum cartas diligenter relegere rogarit, & Miſſos ſuos Vuichingo & Ludione ad eorum petitione per diverſos pagos, una cum ipſa ſtrumenta ad hoc inquirendum vel inveſtigandum direxit, ut ubicumque eorum juſtitia invenirent, vel ipſi Monachi &

ipsi agentes legitima strumenta præsentabant, vel casa sancti Diunisii exinde vestita fuerat, seu à bonis Deo timentibus hominibus ibidem datas, vel conlatas fuerunt, & ipsa casa legitime & rationabiliter per lege exinde vestita fuerat, & postea per iniquo ingenio de ipsa casa abstractas fuerant, eis reddere deberent. Quod ita..... & fecerunt. Id sunt per diversis pagis loca denominata, in pago Fanmartense cella qui dicitur Cruce, qui aspicit fisco solemnio, quem domnus Hildbertus quondam Rex ad casa sancti Diunisii per sua præceptione concessit: & Avisinas quem Vassus genitoris nostri tenuit: similiter in pago Bragbanto in loca nuncupantes Scantia & Cambrione: similiter in pago Briegio loca

Linariolas; & in Melciano loca cognominantes Nartiliago & nuncupante Coconiago; vel in Belvacinse loca nominata Pitito villare, Masiago, Saciago, Ansinovillare, Thedegario-villare, Ambrico-curte, Ebroaldo-curte, Gellis; similiter in pago Camliacinse, loco qui dicitur Boderovillo, & Nialla: similiter in pago Vilcasino bacivo superiore & subteriore & Madriu, quem Gabbifrisio per beneficium habuit: similiter in pago Madriacinse Vinias, Camapio & Niventis, Villanova, Rosbacio, Sigrancio, Beranecurte: similiter in pago Tellau loca cognominantes Pictus, Macerias, Verno, Fircera, Potio, Bodalca, Brittenevalle, Artiliaco, Agusta, Rausero, Crisonarias, Vuariaco, similiter in pago Vimnau

loca cognominantes Marca, Malcha, Malchis, & Avisinas, Rodeno, Rodalca Sadicola, Vidriaco, Horona, Arcas. Similiter in pago Parisiago Tabernas. Similiter in pago Ambianinse loca qui dicuntur Pisciago, & ad-Salto; seu diversa loca per diversos pagos, tam majora, quam & minora, quod per singula nominare non fuit necessarium, unde ipsa casa ad præsens vestita esse videtur, ita ut sicut ab ipsis inventumque vel investigatum fuit, & ipsas res ipsi monachi vel ipsi agentes partibus sancti Diunisii receperunt, deinceps in postmodum ab hodiernum die ipsa casa Dei vel ipsi monachi seu agentes eorum evis & futuris temporebus habiant evindecatas atque elidicatas. Unde & ipse jam dictus Fulra-

dus Abba ſeu & ipſi monachi de ipſo ſancto cœnubio, qui in ipſa caſa Dei converſare vel vitam degere videntur, nobis petierunt ut denuo circa ipſis pro futuris temporibus præceptione noſtra manu noſtra firmata exinde eis adfirmare deberemus. Quod ita & fecimus, ut ſicut conſtat quod ipſas res per legem & juſtitiam in palatio ante genitore noſtro evindicaverunt vel receperunt, ut tam ipſe Abba, quam & ſui ſucceſſores omni tempore pro conpendio (ſicut ſuperius inſertum eſt) ad ipſa ſancta caſa ad luminaria procuranda, ſeu veſtimenta Monachorum vel reliqua conpendia ſeu ſuſceptionem pauperum & peregrinorum habiant evindicatas atque elidicatas, ut eis ſemper melius delectet pro nobis, vel

filios noſtros ſeu pro ſtabilitate Regni Francorum die noctuque inceſſabiliter orare, vel Domini miſericordia deprecare; & (ſicut nobis promiſerunt) per ſingulos dies nomen noſtrum tam in Miſſas quam & in peculiares eorum orationibus ad ſepulchrum ſancti Dionyſii debeant recitare, ſi adhuc in antea eorum juſtitia invenire potuerimus eis libenti animo reddere volemus. Et ut hæc autoritas vel præceptio noſtra quod nobis poſtulaverunt circa ipſa caſa Dei proficiat, & evis & futuris tempori inconulſa & firma debeat permanere; manu propria ſubter firmavimus & annuli noſtri impreſſione ſignavimus.

SIGNUM CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS.

Vuigbaldus ad vicem Hiſterii recognovi & ſubſcripſi.

Data ſexto Kal. Julias anno ſeptimo & ſecundo regni noſtri. Actum Cariſiago palatio publico Dei nomine feliciter.

Diplomatum Carolinorum ſpecimen quartum.

Caroli M. Præceptum * *pro Confirmatione commutationis quorumdam prædiorum in pago Metenſi, initæ inter Fulradum Abbatem Dionyſianum, & Euſemiam Abbatiſſam Parthenonis S. Petri in urbe Mettenſi.*

* *De re Diplom. lib. 6. pag. 501.*

CAROLUS gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum ac Patricius Romanorum. Notum ſit fidelibus noſtris tam præſentibus quam & futuris, ſi hoc quod inter ſe commutaverint noſtris oraculis con-

Ex Autographo. Anno 782.

firmamus, Regum consuetudinem exercemus, & idem postmodum jure firmissimum mansurum esse credimus. Igitur compertum sit omnium vestrorum magnitudini, qualiter venerabilis vir Folradus Abba de Monasterio sancti Dionysii seu Archipresbiter, atque Eufimia Abbatissa de Monasterio superiore que est constructus in honore sancti Petri, infra muro Mettis civitate, pro oportunitate amborum partium res aliquas inter se commutasse. Unde & ipsas commutationes bonorum hominum manibus roboratas in præsenti ostendiderunt relegendas: ubi cognovimus qualiter dedit Eufimia Abbatissa ad parte Folrado Abbate una cum consensu ancillarum Dei ibidem consistentium locella dua infra

infra pago Salninse, super fluvium Salona in Conpendio, id sunt in Filicione-curte seu in Victerneia - curte, quantumcumque in ipsas curtes fuit ratio sancti Petri in integritate, & quicquid ad ipsa loca aspicit. Simile modo Folradus dedit ad parte Eusimianæ Abatissa & illa Congregatione sancti Petri res proprietatis suæ in pago Scarponinse in loco que dicitur Basigunde-curte, quantumcumque cum Petrone Episcopo Virduninse, seu & Annone Abbate commutavit, & quicquid ad ipso loco aspicere videtur, totum & ad integrum dedit ad parte Eusimianæ Abbatissæ. Sed pro integra firmitate petierunt ipse Abbas & Abbatissa Celsitudini nostræ, ut hoc per nostram auctoritatem confirmare debe-

remus. Quorum petitionibus gratanti animo ita præstitisse vel in omnibus confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut quicquid pars contullit parti, aut econtra in conpensu recepit, inspectas ipsas commutationes, sicut per eas declaratur, ab hac die per hanc nostram auctoritatem habendi, tenendi, dandi, commutandi, vel quicquid exinde unus quisque quod à jure suo accepit ad profectum earumdem Ecclesiarum exercere voluerit, liberam ac firmissimam in omnibus habiant potestatem: ut neque à prædicto Abbate & Abbatissa, neque ab eorum successoribus ullum unquam tempore ipsas commutationes violentur. Unde duas confirmationes uno tenore conscriptas fieri jussimus, quas & manu

propria firmavimus, & de Anulo nostro sigillare jussimus.

SIGNUM CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS

VUIDOLAICUS AD VICEM RADONIS RECOGNOVI.

Data in mense Octobris anno XIIII. & VIIII. regni nostri. Actum Haristalio palatio publico in Dei nomine feliciter.

Diplomatum Carolinorum specimen quintum.

* De re Diplomat. lib. 5. tab. 24. p. 389. lib. 6. p. 503.

*Charta Ghiselæ, * Caroli M. sororis, qua Monasterio Dionysiano multa confert prædia quæ à Parentibus acceperat.*

. . . .

. . . .

Ex Autographo mutilo. Anno 791.

batorum Martyrum Dionysii, ubi ipse preciosus corpore quiescit cum suis sanctis sociis de eorum prædio & facultates ipse locus sanctus ditatus & bene fundatus fuit, & est, & concedente Domino erit in perpetuum: ita nunc in Dei nomine Deo sacrata Christique semper devota Ghisela nobilissima Regis filia Pippini & Bertradanæ Reginæ olim, pro Dei intuitu

& deſiderio cæleſtis regni & animæ meæ remedio, donamus ad ipſum ſanctum locum, donatumque præſentaliter eſſe volumus. Sicut enim admonet nos ſancta Scriptura, ut homo dum vivit in corpore cogitet de æternitate vitæ, ut de tranſitoria meretur æternaDomino dicente in Evangelio: *Facite vobis theſauros in cælo quæ non deficiunt, & de iniquo mammona comparate vobis æterna tabernacula*, juxta ſententiam beati Doctoris Auguſtini, ubi ait: *Perit mundus, & ea quæ in mundo ſunt.* Illud vero nunquam perit, quod in Eccleſiis vel in pauperibus erogatur, ſed unicuique quod ad æternam beatitudinem pro juſtitia reputatur. Ideo ob ejus amorem donamus ad ipſum ſanctum locum ſuperius denominatum, ubi præſen-

ti tempore Fardulfus Abba cum norma plurima monachorum conversare, regere, vel gubernare videtur; villa nostra nuncupante Putialis in Pago Adratinse, cum illas Ecclesias quæ sunt constructæ in honore sancti Vedasti, vel cæterorum sanctorum cum appendiciis suis, id sunt Gunbodecurte, seu Postonevillare, vel Bertinocurre; nec non & in Linarias, seu & in Hodricio in jam dicto pago Adratinse; & in Magrasto-villa in pago Vermandinse; Frisionecurte seu & Agnonocurte in pago Ambianense; Walliu in pago Camaracinse; ipsa loca superius prænotata cum omni integritate vel soliditate earum, id est una cum terris, mansis, domibus, superpositis, edificiis, præsidiis, mancipiis, inquilinis, accolabus,

libertis, servis tam ibidemque oriundis, quam & aliunde translatis; campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus mobilibus & immobilibus, grægis cum pastoribus, perviis, publicis psaltis atquæ subjunctis, vel omnique præsidium & universum meritum, & ad prædicta loca superius nominata aspicere vel pertincre videntur, & præsenti tempore ibidem possedeo, quicquid infra terminos aut extra terminos, tam de alode aut de comparato vel de qualibet adtracto ad me legibus obvenit, à die præsente ac præfata casa Dei in alemonis vel substantia monachorum ibidem habitantium Christo protegente proficiat in augmentum, & de jure meo in jure & dominatione ipsius Basilicæ trado atque trans-

fundo: ita ut ab hac die vos vel ſucceſſores veſti habeatis, teneatis, poſſedeatis, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam & firmiſſimam auxiliante Domino in omnibus habeatis poteſtatem. Et ut hæc donatio à me facta omni tempore firma & inconvulſa valeat perdurare.

Signum † Ghyselæ nobiliſſima filia Pippini Regis, qui hanc donatione fieri rogavi.

Signum † Caroli nobiliſſimi filii Domni Caroli Regis præcellentiſſimi.

Signum † Pippini nobiliſſimi filii Domni Caroli præcellentiſſimi Regis.

Signum † Chlodoici nobiliſſimi filii Domni Caroli præcellentiſſimi Regis.

Vuineradus Cancellarius juſſus à prædictæ Domnæ Ghyſelæ ſcripſi & ſubſcripſi.

Data Id. Jun. anno XXXI. & XXVI. regnum Domni noſtri. Actum Aquiſpalatio in Dei nomine feliciter Amen.

Diplomatum Carolinorum ſpecimen ultimum.

Caroli magni Præceptum pro Oſnabrugenſi S. Petri & SS. Criſpini & Chriſpiniani Baſilica.*

* De re Diplomat. lib. 5. tab. 25. p. 390. & 391.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Karolus Sereniſſimus Auguſtus à Deo coronatus magnus, pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per miſericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum. Quicquid enim locis ſanctorum venerabilium ob amorem Domini noſtri Jeſu Chriſti & reverentiam

ſanctorum cedimus vel condonamus; hoc ad mercedis augmentum vel ſtabilitatem regni noſtri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum ſit omnibus fidelibus præſentibus ſcilicet & futuris, qualiter donamus ad Baſilicam ſancti Petri Principis Apoſtolorum, & Sanctorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani, quam nos conſtruximus in loco Oſnabrugki, & corpora illorum illuc tranſtulimus, ubi præeſt vir venerabilis Wiho Epiſcopus, omne Regale vel ſæculare judicium ſuper ſuos ſervos, & liddones, & liberos Malman & Mundman, & omnes utriuſque ſexus homines, eidem æccleſiæ pertinentes, quos modo poſſidet, vel deinceps acquiſierit, & perpetuam de regia poteſtate confirmamus abſolu-

tionem : ita ut nullus judex publicus, Dux, Comes, vel Vicecomes, vel Scultetus, ſive Miſſi Dominici per tempora diſcurrentes loca illius Epiſcopatus, ad Placita habenda, vel freda exigenda, & parafreda, aut aliquem de præſcriptis, eidem æccleſiæ pertinentem, ad ſua Placita bannire vel ad mortem uſquam terræ rum dijudicare, vel aliquo modo ullo umquam tempore aggravare audeant : ſed liceat præfato Epiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus & ſuo advocato res prædictæ æccleſiæ cum omnibus ſibi pertinentibus quieto ordine poſſidere, ordinare, atque diſponere. Et ut hæc auctoritas firmior habeatur, ac diuturnis temporibus melius conſervetur; manu propria ſubter eam roborare decrevimus, & de

annulo noſtro ſigillare juſſimus.

Signum Caroli piiſſimi ac Sereniſſimi Imperatoris.

Jacob ad vicem Radoni.

Data XIV. Kal. Jan. anno III. Chriſto propitio Imperii noſtri, & XXXVI. regni noſtri in Francia, atque XXX. in Italia. Indict. XI. Actum Aquiſpalacio publico in Dei nomine feliciter. Amen,

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

AGNILUS Referendarius, Pag. 75.

Aimoini quanta esse auctoritas debeat, 198. *& seqq.* Eumdem longè præferendum esse Anonymo scriptori rerum gestarum S. Droctovei, 201. *& seqq.*

Anonymus Gestorum Dagoberti primi Auctor Monachus fuit Dionysianus, 96. Ab eodem recensita Diplomata conferuntur cum iis quæ habentur apud Jacobum Dubletum, & in Libris de re Diplomatica, 97. *& seqq.* Idem enumerat viginti tantùm Diplomata Merovingica, 99. Ipsi quatenus sit credendum, 109. *& seqq.* Non est coætaneus, 111. *& seqq.*

Anonymi Autoris qui Fredegarii Chro-

nicon Nibilungi Comitis juſſu continuavit, quanta auctoritas, 222. Idem defenditur adverſus R. P. Theodoricum Ruinart 226.

S. Audoënus Referendarius, 87.

Autharius quandonam Monaſterio Germanenſi præfuerit, 196. *& ſeqq.*

Autographa ſexto vel ſeptimo ſæculo ſcripta non facilè adnos uſque pervenire potuiſſe, 18. Illa multo facilius perire quam numiſmata aut ſigna ærea, 18. Triplicem ob cauſam eſſe adulterata, 29. Illorum fide niti Regulas omnes traditas in libris *de re Diplomatica*, 8. *& ſeqq.*

B

Baſilica ſanctæ Crucis, & ſancti Vincentii, quandonam dici cœperit Baſilica ſancti Germani, 204. *& ſeqq.* A quibus condita ſit & dedicata, 205. In ea Clotarius ſecundus ſepultus eſt, 207.

Bertarius Major-domûs quando obierit, 180. *& ſeqq.*

C

Carlomanni Diploma multiplici ex capite oppugnatur, 233. *& seqq.*

Carolus magnus & Carolomannus ejus frater quo die in Reges fuerint inuncti, 227.

Caroli magni indoles moræ longioris impatiens, 243. *& seqq.* Indictus à Carolo apud Duriam Villam Conventus, quo tempore habitus sit, 246. Ejuſdem anni ſecundùm triplicem Epocham numerari ſolent, 260. Ejuſdem præceptum quo varia Monaſterii Dionyſiani bona eidem Monaſterio confirmat, examinatur, 242. Ejuſdem expeditio adverſus Saxones anno 775. *p.* 249. Ejuſdem præceptum aliud examinatur, 256. Aliud ejuſdem Diploma examinatur, 259. Ejuſdem Diplomata varia excutiuntur & inter ſe conferuntur, 261. Ipſa ſibi invicem non conſentiunt, 264.

Caſſiodorus anno ætatis 93. librum ſcripſit de Ortographia, 66.

Chaino Abbas Dionyſianus, 71.

De Charta donationis factæ Ecclesiæ Andaginensi, 57.

De Charta plenariæ securitatis quæ asservatur in Bibliotheca Regia, 60. *& seqq.*

Childeberthus Clodovei tertii successor regnavit annis XVII. 168. Ejusdem Præceptum pro villa Napsiniaco examinatur, 187. *& seqq.* Ejusdem Placitum quo Mercatores ad nundinas Dionysianas convenientes ab omnibus teloniis eximuntur, falsum est, 238.

Childerici Regis Annulus aureus, 217.

Childericus Clotarii tertii frater totam Franciam tenuit annis tribus, 168.

Chilpericus primus regnavit annis, XXII. 161.

Chilperici Danielis dicti annus tertius concurrit cum anno Christi DCCXVII. 164. *& seqq.*

Chrodochildis Regina, 179.

Chrotildis Matronæ Charta rejicitur, 150.

Clodoveus primus quo anno mortuus fuerit, 161.

Clodoveus secundus regnavit annos ut

minimum XVI. vel ut maxime probabile est, XVIII. 162. *& seqq.* Ejusdem annus tertius concurrit cum anno Christi DCXLVI. 158. *& seqq.* Eodem regnante quinam tenuerint præfecturam Palatii, 130. Ejusdem Diploma de villa Cotiraco expenditur, 135. Eundem Regem ac Nandechildem ejus genitricem fuisse scribendi peritos, 137. *& seqq.* Ejusdem Privilegium pro Monasterio Fossatensi, 138. Ejusdem Diploma pro libertate Monasterii Dionysiani expenditur, 123. *& seqq.* Ejusdem Placitum rejicitur, 144.

Clodoveus tertius regnavit annis quatuor, 168. Idem an Clotarius etiam dictus sit, 238.

Clotarius primus quot annis regnaverit, 161.

Clotarius secundus regnavit annis XLIV. 161.

Clotarius tertius quot annis regnaverit, 150. *& seqq.* Idem non conscendit solium ante annum DCLX. 157. *& seqq.* Nec fortasse ante annum DCLXII. *ibid.* Idem non vixit ultra

annum DCLXX. nec fortaſſe ultra annum DCLXVI. 164. *& ſeqq.*

De Corbeienſi Codice manuſcripto, qui Hieronymi & Gennadii Libros de viris illuſtribus continet, 54. *& ſeqq.* Qua ille ætate ſcriptus ſit, incertum eſt, 56.

D

Dagobertus primus regnavit annis XVI. 161. Idem obiit die 19. Januarii, 162. Ejuſdem charta pro villa Iticinoſcoam examinatur, 116. *& ſeqq.* Ejuſdem nomen quomodo ſcribi debeat, 121. *& ſeqq.* Ejuſdem primum Teſtamentum, 141.

Dagobertus ſecundus regnavit annis V. 168.

Deſiderius Epiſcopus cur à Gregorio magno reprehenſus, 86.

S. Dionyſii nomen quam varie ſcribatur in Diplomatibus, 70.

Dionyſianum Monaſterium non ſemel dirutum, 25. In illo vix ullum extare monumentum, quod Sugerii temporibus antiquius probari poſſit, 25.

Diplomata vetera utilia eſſe poſſe ad

illuſtrandam Hiſtoriam Chronologiamque, 14.
Diplomata ſcribendi morem ſexto ſæculo jam receptum fuiſſe, 17.
Diplomatum ac librorum fortunam non eamdem eſſe debuiſſe, 19.
Diplomatum antiquorum veritatem ex ſigillo non poſſe probari, 43. neque ex chirographis, *ibid.* neque ex papyro, 44. *& ſeqq.* neque ex ſcripturæ forma, 49. *& ſeqq.* neque ex orthographia, 65. *& ſeqq.* neque ex ſtilo, 78. *& ſeqq.*
Diplomata vetera comparantur quoad ſtilum, cum Epiſtolis Romanorum Pontificum ſexti, ſeptimi & octavi ſæculi, 81. Item cum libris Boëtii, Caſſiodori, Gregorii Magni,& aliorum qui in Italia floruerunt ſexto, ſeptimo, & octavo ſæculo, 82. *&* 83. Item cum libris Fulgentii, Ferrandi Diaconi Carthaginenſis, & cæterorum Afrorum ejuſdem temporis, 83. Item cum libris Iſidori Hiſpalenſis, Hildephonſi, & Juliani Toletanonum Antiſtitum, 83. & 84. Item cum ſcriptis Adelmi

Scoti & Bedæ, 84. Item cum ſcriptis Aviti, Remigii, Fortunati, Nicetii, Galli, Eligii, & Audoëni, 85. *& ſeqq.* Diplomata an credibile ſit ruſtico ſermone ſcripta fuiſſe, 88. Nullibi plura aſſervari, quam in Archivo Dionyſiano, 94. Apud Dubletum multa dubia, interpolata, falſa, 108. Diplomatum veterum veritatem aut falſitatem agnoſci ex chirographorum ac ſcripturarum comparatione, 190. *& ſeqq.* In iis diem omitti, quo ſcripta erant, Francorum leges non ſinebant, 259.

Diſceptationis hujus quis ſcopus ſit, 6. Eâdem ſola Diplomata vetuſtiora impugnari, 12. Eandem vertere non poſſe in damnum Eccleſiarum aut Monaſteriorum, quorum Diplomata rejiciuntur, 12.

Donationes abſque Charta & nudo verbo factas Eccleſiis ac Monaſteriis, ſexto adhuc ſæculo valuiſſe, 21.

S. Droctoveus cur & quo ſenſu dicatur primus Abbas Monaſterii S. Germani de *Pratis*, 202. *& ſeqq.*

Apud Dubletum multa reperiri Diplomata ſpuria, 34. Dubletus plurima in Archivo Dionyſiano reperit Diplomata Merovingica, quæ illic non viderat Anonymus Monacus Dionyſianus, 99. & *ſeqq.* Dubleti prudentia culpanda, non fides, 108.

E

Erchinoaldus quot annis Palatii Præfecturam tenuerit, 146.
Etherius Lugdunenſis cur laudatus à Gregorio Magno. 86.
Eudo Aquitaniæ Dux fugatus, 224.

F

Falſarios fuiſſe multos ſæculo ſexto, nono & undecimo, 29. Illorum multitudinem magis ac magis eſſe graſſatam regnante Othone Imperatore, *ibid.* Illos non ignoraſſe modum faciendi ac placandi ſigillum, 30.

G

S. Germani corpus primo ſepultum eſt in ſacello ſancti Symphoriani, 205.

Ex illo Sacello translatum est in Basilicam sanctæ Crucis & sancti Vincentii, Regnante Pipino, 207. Ejusdem sepulchrum quandiu fuit in Sacello S. Symphoriani frequenti populi concursu non est celebratum, 208. Ejusdem Monasterium quoties nono sæculo fuerit direptum & igne crematum, 213.

Ghisela Caroli Magni soror, 258. Ejusdem Charta examinatur, 257.

Gregorius Turonensis scripsit suos libros sermone rustico, 88. *& seqq.*

I

Institutam ab Historicis veteribus Chronologiam non semper emendandam esse ex Diplomatibus, 171.

Instrumenta Regia sub Merovingis & Carolovingis Regibus accurate scripta fuisse, 65. Instrumenta vetera hoc ipso esse suspecta, quod simul cum falsis asservata non habent notam qua ab istis secernantur, 37. *& seqq.* Eadem etsi dubia sint vel falsa, non idcirco antiqua Monasteriorum privilegia possunt in contro-

versiam vocari, 12. *&* *269.*
In Joliano Gregori Turonensis codice ms. notas Merovingicas, non perfectè repræsentari, 55. Qua ille ætate scriptus fuerit, non esse exploratum, 56.
Isidori Hispalensis Libri originum, 68.

L

Inter eas quas Labbeus in unum congessit veteres chartas, plurimas esse manifestè falsas, 32.
Latiniacum Villa à quo concessa fuerit Monasterio Dionysiano, 174.
Leudesius quo tempore Major-domûs fuerit, 145.
Libros de re Diplomatica merito prædicari, 2. Nondum tamen esse omni ex parte absolutos, 3.
Lindaviense Diploma quamvis falsum sit, esse tamen in multis simillimum vero, 46. *& seqq.*

M

Mabillonius Ordinis sui lumen, 4. Ejusdem commendatur eruditio & animi sagacitas, 3. Idem Papebro-

chium ſine ulla Papebrochii offenſione confutavit, 5. Quem ſibi finem in Libris *de re Diplomatica* propoſuerit, 6. Ejuſdem fidem non eſſe debere ſuſpectam, etiam ſi laudata ab ipſo Diplomata fuerint ſuſpecta, 11. Illum non probaſſe quod ſincera ſint & genuina Diplomata, quæ cæterorum ſpecimina eſſe voluit, 27. *&* 267. Idem protulit ex Archivo Dionyſiano Diplomata Merovingica XXVI. quæ Dubletus ignoraverat, 100.

Maginarius Referendarius, 234.

Marculphus Formulas ſuas ſermone ſcripſit ruſtico, 92.

Martellus quot annis rexerit Franciam Occidentalem ſimul cum Orientali, 224.

Monaſteriis ampliſſimis præfuiſſe olim Laïcos Abbates, 24.

In Monaſtico Anglicano non paucas eſſe chartas ſpurias, 35.

N

Nandechildis Regina, 136. *& ſeqq.*

Nibilungus Comes, 222.

Notarios Regios non fuiſſe litterarum rudes, 66.

Ortho-

O

Orthographiam veterum Diplomatum esse mendosam, 61. Orthographiæ formam non esse constanter eandem in Diplomatibus, 70. *& seqq.*

P

Pipinus Rex quo mense obierit, 219. Quot annis ab obitu patris regnum cum suprema potestate administraverit, 224. Ejusdem Præceptum examinatur, 215. Ejusdem Diplomati affixum sigillum quid referat, 216.
Possessionem longi temporis plus olim valuisse apud Judices, quam veteres chartas, 23.
Postremum Dagoberti Præceptum pro Monasterio Dionysiano, 139.
Priscianus Grammaticus, 68.

R

Raganfredus victus, 225.
Referendarios plerumque fuisse eruditissimos, 66.
Remensis Ecclesiæ Clericos veteres suas chartas olim contempsisse, 23.

Rusticus sermo qualis sub Merovingis Regibus fuerit, 89.

S

Salmonciacum villa, 234.
Scripturam Longobardicam fuisse Falsariis cognitam, 60. *& seqq.*
Scriptura Merovingica qualis sit, 49. Illam à Francis receptam probari non debere ex ipsis Diplomatibus, quæ vocantur in controversiam, 53. Falsarios illa usos esse ad effingenda falsa Diplomata, 59.
Scripturam Romanam inter Francos fuisse ab initio receptam, 50. *& seqq.* Romanam, non Merovingicam videri in Childerici Regis annulo, 51. Item in veteribus Regum Francorum numismatibus, *ibid.* Item in veteribus inscriptionibus, 52. Item in vetustioribus manuscriptis Codicibus, *ibid.* & 56.
Sigebertus Austrasiæ Rex obiit antequam celebraretur Conventus Clipiacensis, 128. *& seqq.* Ejusdem Monogramma, 127. Signa plura esse, quibus veterum Diplomatum fal-

ſitas certo innoteſcat : vix ulla eſſe, quibus eorumdem veritas certo deprehendatur, 39.
Silentium Dubleti & Anonymi Scriptoris ſuſpectam facere Chartam Dagoberti de villa *Iticinoſcoam*, 117. & *ſeqq.* Ex ſilentio Autorum quandonam argumentum deduci poſſit, 118. & *ſeqq.*
Stilus veterum Diplomatum qualis ſit, 78.
Subſcriptionem Regum in Diplomatibus fuiſſe minime neceſſariam, 142.

T

Theodoricus Calenſis regnavit annis XIX. 168.
Theodorici Præceptum de villa Latiniaco examinatur, 173. Ejuſdem Placitum in cauſa Chramlini Epiſcopi examinatur, 182. & *ſeqq.* Ejuſdem Theodorici ſubſcriptiones inter ſe non conſentire, 184. & *ſeqq.*

V

Vandemiris & Erchambertæ Charta examinatur, 195. *& seqq.*

Vitia quæ homini rem Diplomaticam tractanti præcipuè cavenda sunt, 10.

Vulfoaldi Comitis Tabulas notis Merovingicis exaratas fuisse nullo testimonio probari posse, 57.

Vulfolaëci Referendarii chirographa inter se non consentire, 187. *& seqq.*

Approbatio Regii Censoris.

JUssu Illustrissimi Galliarum Cancellarii, legi Disceptationem primam de veteribus Monumentis. Ingeniosam sane & elegantem, nec parum *Rei Diplomaticæ* lucis allaturam censeo. Datum Parisiis, IV. Id. Jul. an. 1703. RAGUET.

Approbatio R. P. Provincialis.

EGo Julianus Baudran Societatis Jesu in Provincia Franciæ Provincialis facultatem concedo, ut liber cui titulus est *de veteribus Regum Francorum diplomatibus, & Arte secernendi antiqua diplomata vera à falsis Disceptatio*, à P. Bartholomæo Germon compositus, & trium ejusdem Societatis eruditorum virorum judicio approbatus, typis mandetur. In cujus fidem has litteras manu mea subscriptas dedi Parisiis, die 22. Julii, 1703. *Subscriptum*, JUL. BAUDRAN.

Privilege du Roy.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à nos Amez & Feaux Conseillers les gens tenant nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nôtre Hôtel, grand Conseil, Prevost de Paris, Baillifs, Seneschaux, leurs Lieutenants Civils & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT. Le Pere Germon de la Compagnie de Jesus, Nous ayant fait exposer qu'il desi-

reroit faire part au public des recherches qu'il a faites ſur les anciens monumens, publiées ſous ce titre *De veteribus monumentis Diſceptationes Criticæ* s'il nous plaiſoit luy accorder nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. Nous luy avons permis & permettons par ces preſentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choiſir, ledit Livre en telle forme, marge, caractere, & autant de fois que bon luy ſemblera, & de le faire vendre & debiter par tout nôtre Royaume, pendant le temps de huit années conſecutives, à compter du jour de la datte des preſentes. Faiſons défenſes à tous Imprimeurs Libraires & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'imprimer, faire imprimer, contrefaire, vendre, ni debiter ledit livre, d'en faire aucuns extraits ſous quelque pretexte que ce puiſſe eſtre, même d'impreſſion étrangere, ſans le conſentement par écrit de l'expoſant, ou de ſes ayant cauſe, ſous peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de quinze cens livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'expoſant, & de tous dépens, dommages & intereſts; à condition que ces preſentes ſeront regiſtrées és Regiſtres de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris; que l'Impreſſion dudit Livre ſera faite dans nôtre Royaume & non ailleurs, & ce en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie, & qu'avant que d'expoſer ledit Livre en

vente, il en sera mis deux Exemplaires dans nô-tre Bibliotheque publique, un autre dans le Cabinet des Livres de nôtre Château du Louvre, & un en celle de nôtre tres-cher & Feal Chevalier Chancelier de France, le sieur PHELYPEAUX Comte de Pontchartrain, Commandeur de nos ordres; le tout à peine de nullité des presentes. Du contenu desquelles vous Mandons & enjoignons, de faire joüir l'exposant ou ses ayant cause pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites presentes qui sera imprimée au commencement ou à la fin, dudit Livre, soit tenuë pour deuëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos Amez & Feaux Conseillers & Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'original; COMMANDONS au premier nôtre Huissier ou Sergent de faire pour l'execution des presentes, tous actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires: CAR tel est nôtre plaisir. Donné à Versailles, le vingt neuviéme jour de Juillet l'an de grace mil sept cens trois, & de nôtre regne le soixante & uniéme. *Signé*, Par le Roy en son Conseil, LECOMTE.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris n°. 1. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du 13. Aoust 1703. A Paris,

ce quatriéme jour de Septembre 1703. Signé, P. TRABOUÏLLET, Syndic.

Je soussigné declare que j'ay cedé à Monsieur ANISSON Directeur de l'Imprimerie Royale, le Privilege du Roy, que j'ay obtenu de Monseigneur le Chancelier pour l'ouvrage intitulé, *De Veteribus monumentis Disceptationes Criticæ*, suivant les conventions faites entre nous. *Signé*, GERMON, de la Compagnie de Jesus. Ce 3. Octobre, 1703.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, n°. xxv. page 31. A Paris, le vingt-sixiéme Octobre, mil sept cens trois. Signé, P. EMERY, *Syndic.*